THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

בשם יהוה

Pacis ſtudium præpoſterum,

ſeu

CONCORDIA DISCORS

In

ΕΚΘΕΣΕΙ HERACLII

Imperatoris Romani,

Eccleſiæ oblata,

ab illa vero repudiata,

DISPUTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA

Solennni

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

ſub

Præſidio & directione

Maxime Reverendi, Ampliſſ. & Excellentiſſ.

DN. BALTASARIS BEBELII,

SS. Theol. D. & Prof. P. celeberrimi, Summi

templi Eccleſiaſtis facundiſſimi, graviſſimi.

Domini Patroni, Fautoris & Præceptoris ſui

nullo non obſervantiæ & pietatis cultu

ætatem devenerandi,

ad examen revocata.

à

LUDOVICO SCHULTZ.

Revaliâ-Livono.

Ad Diem 12 Octobr. M. DC. LXXX. horis locoq; ſolitis.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

18

Magnifici ac inclyti
Senatus,
Liberæ ac Regiæ Civitatis

REVALIÆ,

VIRIS,

Generis proſapiâ antiquiſſimâ,
Munerum dignitate ſplendidiſſimâ,
Conſiliorum gravitate prudentiſſimâ,
Meritorum denique gloriâ ampliſſimâ,
maximè conſpicuis,

Magnificis, Nobiliſs. Ampliſs.
Prudentiſsimisque
DN. DN. DN.

CONSULIBUS,
SYNDICO
ET
SENATORIBUS,

Patriæ Luminibus, Reipublicæ Columinibus.

Dominis Mæcenatibus, Patronis & Promotoribus ſuis jugi obſequio, ſummoque, quo par eſt, honoris cultu æternùm ſuſpiciendis, proſequendis.

Felicitatem pacemque perpetuam in Domino!

VIRI Magnifici, Prænobiles, Ampliſſimi &c.

Patriæ Patres Meritisſimi.

DIgnum eſſe, ut, quæ ab uberrimis Patriæ fontibus fluxerunt, ad eam etiam redundarent, ne omnino illa ſuam profudiſſe liberalitatem videretur, exiſtimans, *Vobis, Patriæ Patres feliciſſimi*, huncce qualemcunque laborem meum conſecrare auſus ſum. Quandoquidem, quicquid Patriæ debeo, *Vobis*, in quos ſalutis ejus cura univerſa devoluta eſt, veſtræque, poſt Deum, benignitati me debere non ignorabam. Sub veſtro enim clypeo, ſicut natus ſum; ita non ſolum prima ſtudiorum rudimenta domi ponere; ſed &, relictis patriis laribus, eadem, vobis, poſt præmaturum utriuſque parentis obitum, partim ſubſidia benignè ſubminiſtrantibus, partim Patriam ita regentibus, ut ſumtus exinde neceſſarij ad me promanare potuerint, continuare mihi licuit. Quæ certè meritorum magnitudo me hactenus de dignâ aliquâ illam deprædicandi ratione ſollicitum, imò viribus planè meis diffidentem, tandem incitavit, ut abſque ulteriori dilatione, gratum ſaltem

animi mei ſignum, humilimâ harum pagellarum dedicatione, vobis exhiberem, ſat citò fieri perſuaſus, ſi ſat benè factum Veſter inſignis favor & perſpécta humanitas judicaſſet. Quapropter, *Patroni Maximi*, gratioſo hoc ſtudiorum meorum exile ſpecimen vultu admittite, agnoſcite illud ceu nunquam moriturae gratitudinis meae devotae indicium, ſuſcipite tanquam pietatis meae fidem; & ita ſuſcipite, ut & in mei patrocinium, ſtudiorumque meorum ulteriorem commendationem ſuſcipiatis, agnoſcatis, admittatis. Ego interea Jehovam ſanctiſſimum aſſiduis ſollicitabo precibus, ut vos *Patriæ Sydera*, promotores meos benigniſſimos, in eminenti honoris culmine conſtitutos, perpetuò lucere ſinat, & tam in Reipublicæ quàm uniuſcujuſq; familiæ ſplendidiſſimæ emolumentum, felices conſervet; quo veſtrâ prudentiâ artium ſtudia promoveantur, veſtro ſplendore Eccleſiæ pietas luceat, veſtris conſiliis Reipublicæ ſalus vigeat, veſtrâ denique unanimitate concordia civium creſcat, imò vobis ſalvis univerſa Patria ſalva ſit & in pace perpetua floreat. Valete Mæcenates ſummi, nec veſtro graviſſimo favore & gratiâ complecti deſiſtite eum, qui nunquã non erit

V. Veſtrarum Magnif. & Nobil. Amplit.

Dabam Argentinæ Octob. 1680.

Cultor humillimus, & perpetuus cliens

LUDOVICUS SCHULTZ.

BALTASAR BEBELIVS,

S. Theol. D. & P.P. Lecturis εὐπράττειν!

QUo quis peccat eo plerumque punitur! Proverbium eſt in vulgus notum, ſed &, proh dolor! nimis quam verum. Exemplo unico, ſed illuſtri, hac vice contenti ſimus. Muhammedaniſmi nempe, tanquam Syncretiſmi, quem Deus, juſtus omnis confuſionis oſor, & vindex, adverſus Chriſtianos συγκρητίζοντας olim permiſit. Mahumedaniſmus cento eſt ex variis errorum Ethnicorum, Judaicorum, hæreticorum, paucis quibuſdam bonis admixtis, laciniis malè conſutus, aut ſimilis monſtro, quale deſcripſit Horatius ſub initium artis Poëticæ:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè.

Neque mirum ex his heterogeneis monſtrum hoc coaluiſſe, ſi cogitamus Muhammedem, infelicem ejus parentem. Ortum enim ille traxit, Abdalla Patre, & Emima Matre, ex Koreiſchitis Arabibus, Inter quos non natus ſolum eſt, ſed & educatus, & informatus ad ætatis annum uſque quadrageſimum; Idololatræ autem illi erant, qui Venerem & Bacchum ſeu Priapum, ſub nominibus Alath, Alozza, Menath, Alaph, Naila, Vodda, Sevaha, Diaſares, ſeu Dauſar, colebant: Cultui quoque Angelorum dediti; & aliis erroribus, quos recenſere longum eſſet;

hos vero cum ab incunte ætate imbibiſſet Muhammed, mirum non eſt, quod teſta iſta odorem, quo ſemel imbuta erat, diu, & deinceps etiam ſervarit. Acceſſit Judaiſmus, quem hauſit ex quodam Judæo præceptore, cui Abutaliph avus ipſius eum informandum commiſerat. Inde etiam in Chriſtianos, ſed heterodoxos, incidit, Johannem Antiochenum, Arianæ; & Sergium Neſtorianæ hæreſi addictos, utrumque Monachum; His infelicibus informatoribus uſus Muhammed, Alkoranum didicit, & conſarcinavit, in quo

Serpentes avibus geminantur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis
Purpureus, latè qui ſplendeat, unus & alter
aſſuitur pannus.

Sed pœna hæc erat antegreſſorum in Eccleſia Chriſtiana peccatorum. Turbaverant hinc Neſtorius, inde Eutyches, in altero quiſque extremo, Eccleſiam Dei, eamque in ἀκροπόλει ſua, χριστολογίᾳ, cùm eſſent, qui certamina iſta compoſituri non minus peccarent in medio, quam illi in extremis. Inter medios hoſce refero Sergium Conſtantinopolitanum, & Cyrum Phaſianum, & Athanaſium Jacobitarum Catholicum, Epiſcopos. Cum enim Heraclius Imperator, hactenus orthodoxus, Athanaſium hunc Eutychianiſmi poſtularet, *ut qui Chalcedonenſe Concilium improbaret, neque duas naturas in Chriſto citra confuſionem unitas confiteretur; homo callidus ac dolis plenus, & Concilium ſe approbare ſimulabat, & duas naturas in Chriſto unitas profiteri ſe ajebat; ſed de voluntatibus & actionibus percontabatur, utrum eas duplices, an vero unas, & ſimplices dici fas eſſet? Eam quæſtionem Imperator ad Sergium, Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſit, qui cum primum Monotheletarum hæreſin probaret: unam naturalem voluntatem, & unam actionem in Chriſto ſtatuendam eſſe, Imperatori reſcripſit. Rogato Cyro Phaſiano, eum quoque idem ſentire cum Sergio intellexit. Quorum*

aucto-

autoritate motus Heraclius & ipſe eandem opinionem amplectebatur. & turbidam aquam bibebat ab illis non paſtoribus, ſed mercenariis exhibitam. Verum cum ſanctus Sophronius Hieroſolymis tum ἀρχιερατεύων ſubjectis ſibi Sacerdotibus convocatis per Concilij modum (συνοδικῶς) *demonſtraſſet, qui unam in duabus Chriſti naturis voluntatem atque actionem affirmarent, eos palam unam quoque naturam ſtatuere, eiq; Joannes Papa Romanus aſſenſum præbuiſſet, Imperator edictum propoſuit, neque ſingularem, neque binariam in Chriſto actionem eſſe aſſerendam.* Ita refert Zonaras in Heraclio.

Ex his colligere eſt, quod Sergius, Cyrus, Athanaſius, & ab ipſis ſeductus Heraclius Imperator, tertiam quandam ſententiam, de una duarum naturarum in Chriſto voluntate & actione amplexi fuerint, ſine dubio eo fine, ut concordiam inter diſſentientes conciliarent; & cum hæc non procederet, Imperator ſilentium utrique partium indixerit, ſed pudendo conſilio. Ejus enim edictum, eodem Zonara auctore, *non Orthodoxis tantùm, ſed Severi etiam* (Monotheletæ) *ſectatoribus ridiculum viſum eſt.*

Eadem hodie luditur fabula, dum ſunt, & fuerunt olim, interdum etiam Principes viri, orthodoxi quidem, ſaltem in pleriſque & præcipuis fidei articulis, ſed non ſatis profunde gnari myſteriorum, qui tædio controverſiarum Theologicarum impulſi, eas vel prohibent omnino, vel invicẽ conciliare, tertia aliqua & neutrali formula propoſita, fruſtra allaborant.

Horum ideam aliquam in Heraclio Imperatore, ejuſque ἐκθέσει repræſentavit vir Juvenis, Præcellens atque Clariſſimus, Dn. *Ludovicus* Schultz/ Revalia-Livonus. Degit ille jam ultra ſexennium in Academia noſtra, & ita quidem, ut ſtudioſos, ſuo officio functuros, decet. Neque enim putido ſeſe otio dedit, ſed labori & induſtriæ, medio eruditionis acquirendæ divinitus benedicto; & quidem labori non in rebus inanibus occupato, ſed ſeriis, quæ in praxi Theologica ſuum quendam

uſum

uſum eumque inſignem habent. Inter alia hiſtoriæ quoque Eccleſiaſticæ ſeſe dedit, & in hac illi præcipuè, quæ de infelici ſyncretiſmo aliquid monere & docere poteſt. Imitari voluit in hoc ſtudiorum genere non nos ſolum, qui *Irenicam* Conſtantini M. epiſtolam ad Alexandrum & Arium quondam exaratam, ſub examen quondam vocavimus, idque ſolenne, reſpondentis partes ſuſtinente Cl. Dn. M. *Chriſtophoro Spenglero* Lipſienſi; ſed exemplum etiam Cl. Dn. M. *Joh. Erneſti Heringij* Dreſdenſis, & Fac. Phil. Witebergenſis quondam Adjuncti meritiſſimi; nunc vero piè defuncti; Nam & iſte literas Baſiliſci circulares ſyncreticas, ſub noſtro honorario præſidio, in ſolenni Cathedra in ruborem dedit; ut & Cl. Dn. *Joachimi Dietert*, Hamburgenſis, qui in aula Sereniſſimi Palatini Ludovici Leopoldi &c. &c. ſacro miniſterio defunctus eſt, & noſter ſubſes fuit honorificus, cum Henoticum Zenonis ad regulas veræ unitatis revocaret, & improbaret. Hos in zelo pro vera concordia adverſus commentitiam imitando, inſtitit etiã veſtigiis Viri quondam maximè Reverendi atque Ampliſſimi, Dn. M. *Gabrielis Elveringij*, Revalienſis, ſuæ Patriæ Superintendentis graviſſimi & meritiſſimi; quippe qui ſtudioſus adhuc, & noſtræ quidem Academiæ civis, ſub præſidio celeberrimi Dorſchei noſtri *apologiam judicij Theologici Acad. Argentoratenſis in cauſſa Joannis Latermanni, D. & PP. Regiomontani anno M DC XLVI. lati contra Iuliani alicujus Anteceſſoris diſſertationes, Anno M DC L.* feliciter defendit, &, dum in eminenti officio fuit, in zelo puritatis conſtans perſeveravit. Ab hoc zelo, ut & probitate & elegantia morum merito commendandus venit noſter Scultetus; Faxit Deus, ut in his virtutibus & ipſe perſeveret, donec aliquando immarceſſibilem fidei & pietatis coronam in vita æterna reportet! Amen!

Q.D.B.

Q. D. B. V.

Procœmium.

LIcet pernicioſam belli tempeſtatem, tranquillitati pacis, omnium ſegeti & fundamento bonorum humanorum, præferens, monſtro ſimilior quam homini, imò ipſis beſtiis immaniſſimis immitior videatur; Non omnis tamen amabilis pacis nomine delinitus fucus pro vera concordia, agnoſcitur, quoniam bellum huic figmento eſſe involutum, *&* venenoſum diſſidiorum fel, pro dulciſſimo tranquillitatis nectare, à præpoſteris pacis ſponſoribus orthodoxiæ propinari, veritati & pietati litantibus non poteſt eſſe obſcurum: igitur illa tantum admittitur concordia, quæ à Deo *pacis patrono*, Eſa. XXVI. 12. profecta, & divinam pro fundamento habet veritatem, ſecundum inſigne Sp. Sancti monitum apud Zach. VIII. v.19. וְהָאֱמֶת וְהַשָּׁלוֹם אֱהָבוּ *Veritatem*, præprimis, *& pacem diligite &c.* & Apoſtoli, ad Rom. XII. 18. Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύετε. *Pulchrè dicit, ſi fieri poteſt. Nonnunquam enim fieri non poteſt, ut pacem quiſpiam complectatur, cum de pietate certamen fuerit. Ait igitur, quod tui eſt officij facias, ne cuiquam occaſionem præbeas bellorum & tumultuum. Sin pietatem debellari impugnarique conſpexeris, fortiter conſiſte, pro veritate dimicans, non homini quidem infenſus, ſed impietati,* addit D. And. Oſiand. ex Theophyl. in gloſſ. marg. ſuper h. l. Nam quo melior illa pugna, quæ Chriſto proximum facit, pace illâ, quæ à Deo ſeparat, eo felicior diſcordia eſt, quæ ab erroribus & falſitate ſeparatos nos Chriſto capiti noſtro unit copulatque. Quæ cum ita ſint, nemo non videt, quam procul à Concordiæ tramite non tantum aberrent inquieti illi oſores & publicæ turbatores tranquillitatis, qui vel ultra ſcripturam ſapientes, ſ. eam

plane ignorantes hæreſes & ſchiſmata movent; vel ex nimio pietatis zelo, ſeu, ut verius dicam, ſuperſtitioſo carnis ſui ſenſu, *fruſtra inflati, humilitatem & religionem angelicam, quam non viderunt*, Col. II. 18. ſomniant, & ita Eccleſiæ Chriſti militanti, multisque imbecillitatibus humanis laboranti, bellum quaſi indicere videntur: Sed etiam *immoderati* illi *pacis moderatores, & concordiæ Apoſtolaſtri*, ut illos vocat B. D. Danhavverus, qui ſepoſito veritatis divinæ ſtudio, placitis immitia, ſerpentes avibus, & tigribus agnos quaſi conjungere, & geminare, imo ipſum Chriſtum cum Belial conciliare non erubeſcunt. Hi certè inſtar prædonum in perniciem viatorum, & luporum in exitium ovium concordantium, neſandam aliquam conſpirationem, adverſus ipſiſſimum Numen ejuſq; verbum, conflant, regnumque diaboli dilatandi fundamenta ſubminiſtrant. Et horum quidem commenta regno Chriſti inſidiantia, non nudius tertius excogitata, ut quidam, in illorum patrocinium, ſibi falsò imaginantur, ſed jam priſcis temporibus, magnâ cum Eccleſiæ perturbatione, fuerunt applicata, ut vix ovum ovo ſimilius dici poſſit, quam conamina hodiernorum Irenopoëtarum priſcorum figmentis, uti conſtare poteſt, non ſolum ex Irenico Conſtantini M. Circularibus Baſiliſci, Henotico Zenonis, Typo Conſtantis Imperatorum, ſed & præprimis ex Heraclij Imperatoris, ipſa contradictoria conciliantis, venenoſâ ἐκθέσει. Quam cum, ductu & ſuaſu pl. Reverend. atque Excell. D. D. Præſidis, fautoris & Præceptoris mei, multis nominibus, & perpetuâ obſervantiâ venerandi, ſpecimen aliquod ſtudiorum editurus, examinandam, pro ingenij modulo, in me ſuſceperim, jam citra moram aggrediar. Quod, ut feliciter præcedat, *Tu ſol juſtitiæ, Chriſte Ieſu, exorere, mentisque tenebras diſcute, ut ad veritatis tuæ adyta penetrare liceat, tu enim es fons vitæ, & in tuo lumine videbimus lumen!* Pſal. XXXVI. 10.

§. I.

Tituli explicatio.

In conſideratione ſcripti hujus ſyncretici, ſecundum illud Socratis Philoſophi: ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις primùm explicandum ſeſe offert *Titulus*. Eſt autem ille ſatis ſpecioſus, nimirum, Ἔκθεσις *orthodoxæ fidei Heraclij Imperatoris*.

Origo vocis Ἔκθεσις.

Cujus primus terminus Ἔκθεσις, vocabulum græcum, ἀπὸ τοῦ ἐκτιθέναι derivatum, quod verbum nonnunquam ſignificat exponere

ſeu

ſeu abjicere, ut in Act. VII. 19. de Iſraelitis dicitur, quod coacti fuerint in Ægypto, τῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, *ut abjicerent infantes ſuos*, & apud Ariſtophanem, κἀγὼ ἐξέθηκα παῖδα, notante Scapulâ ad h. voc. Deinde ἐκτιθέναι etiam ſignificat *exponere ſeu interpretari & commentari*, eo ſenſu, quo Gregorius M. expoſitionem in librum Jobi, in Cant. Cantic. in 7. Pſalmos pœnitentiales ſcripſit; Tandem etiam idem eſt, ac *explicare*, *declarare*, *edere*, *prodere*, ut ἔκθεσις ſit *Expoſitio ſeu Editio* alicujus dogmatis, vel editum aut promulgatum dogma. Theodoret. Hiſt. Eccleſ. l. 2. Qui ſenſus etiam hujus tituli eſt, nempe *Expoſitio* ſeu *promulgatio*, ſeu *editio orthodoxæ fidei*. Nam Scriptura S. non ſolum in hoc ſignificatu hoc verbo uſa eſt, e.g. Act. XVIII. 26. ἐξέθεντο τὴν τῦ θεῦ ὁδὸν, *expoſuerunt viam Domini*, conf. Act. XI. 4. c. XXVIII. v. 23. &c. Sed etiam in Eccleſia Græci Patres, quando confeſſionem fidei edebant, ἐκθέσεως vocem uſurpabant, e.g. Athanaſius T. 1. opp. f. 240. Item Juſtinus Martyr, & Cyprianus, Expoſitiones fidei in publicum edentes. Erat præterea hic titulus orthodoxis Patribus ejuſdem ponderis, cujus *Symbolum*, κατήχησις, Ὑποτύπωσις, *Canon fidei*, *Inſtitutiones* &c. Quibus ceu teſſeris & ſignis Doctrinæ orthodoxæ, non ex proprio cerebello, aut prudentiæ humanæ ſcrinio hauſtæ, ſed ex ſcripturæ indubitatis fundamentis deductæ, brevem & perſpicuam ſummam complectebantur, veritatem contra adverſarios profitebantur, puritatem inter ſe conſervabant, & ad poſteritatem propagabant. Poſtquam verò res Eccleſiæ in peius ruere, atque malitiâ hæreticorum fides captivari in obſequium rationis cœpit, multique non ex puris fontibus; ſed vel præter, vel contra ſcripturam, prætextu tantum Antiquitatis & Eccleſiæ orthodoxæ, more adhuc hodiernorum papicolarum, quidvis in Eccleſiam introducerent, eo res degeneravit, ut quilibet veteratos ſuos errores ſub ſpecioſis hiſce titulis, in Eccleſiam inveheret. Quare nec de Heraclio, ſeu Conditoribus ἐκθέσεως, hoc præprimis ſeculo VII. quo Religio Chriſtiana maximum deliquium paſſa eſt, utroque Anti-Chriſto, & Pontifice Romano in Eccleſia, ſub nomine Chriſti, & delirante Mahumete, extra Excceleſiam, abjecto ejus nomine, cornua ſumente. teſte Cent. Magd. VII. cap. 1. col. 2. inſolens videri poteſt, quod, à priſtina orthodoxia degenerantes, trabales ſuos errores, nomine Con-

Vſus. Synonyma. Abuſus.

feſſionis orthodoxæ fidei oſtentarint. Quandoquidem hunc titulum in vero & originali uſu huic ſcripto attributam, abſque impudentiæ crimine dici nequeat. Quod ſi enim Symbola, Confeſſiones ſeu Expoſitiones fidei, non ſunt cauſæ dogmatum procreantes; ſed de dogmatibus ex ſcriptura, unica credendorum regulâ, jam ante conſtitutis & confirmatis, ſolenne teſtimonium, ut B. D. Menz in Prol. ad A. C. p. 6. §. 16. docet; Hoc Monotheletarum commentum, novas doctrinas & loquendi modos contra ſcripturam fingens, nemo confeſſionem orthodoxæ fidei dicet: Si Confeſſio ſeu Expoſitio fidei, nota & teſſera doctrinæ orthodoxæ eſſe debet, quâ tanquam ſymbolo militari Chriſtiani veri à PſeudoChriſtianis, hæreticis, & quibuſvis infidelibus, diſcernantur; quis quæſo Expoſitionem ſeu ſymbolum Eccleſiæ orthodoxæ hoc medium uniendi hæreticos cum orthodoxis nominabit? Sed manet hic titulus huic Edicto abuſivè, & ſub ſpecie fallendi, non ex rei veritate, impoſitus; pari ratione, qua Neſtorius ſuos hæreticos *Expoſitionum libros* hoc titulo dealbavit, velavit, & hodierni Papicolæ titulo Catholicæ fidei ſuam acatholicam doctrinam incruſtant. Et tantum abeſt, ut ex mente hæreſiarcharum, apud Baron. §. 13. 14. Anni 639. *Præſidium Eccleſiæ, orthodoxæ fidei ſtabilitas, ſanctorum Conciliorum ſymbolum, unitatis populi Chriſtiani ſtabilimentum* vocetur; ut potius *edictum perfidiæ*, ut vocavit Martinus R. Papa, diſcordiæ fomes, & Diaboli commentum dici mereatur.

§. II.

Explicatio alterius term. Tituli Heraclii Imperatoris.

Alter tituli terminus à ſcripti hujus auctore ſecundario, ſeu potius promulgatore deſumptus eſt, nempe *Heraclio Imperatore*, qui Anno 610. imperio potitus, ſecundum computum Calviſij, atque à Sergio, unà cum Conjuge coronatus eſt, referente Baron. ex Cedreno & Theophane ad Ann. 610. §. 5. Egregius Princeps, quoad dotes corporis, & animi & fortunæ; ſtaturâ mediocri, robuſtus, firmo pectore, oculis elegantibus, ex viris illuſtribus ortus, divitiis florentiſſimus, manuque promptiſſimus, ut de eo habet Baron. ad Ann. 610. §. 5. quiq; imperio Romano 30. annos præfuit, teſte Cent. VII. Magd. cap. XVI. col. 368. Quod ſuum imperium tàm immaniſſimi Tyranni invaſione, quàm etiam poſtmodum à Coſrois Perſæ, Chriſtiani nominis hoſtis infeſtiſſimi,

mi, aliorumque vaſtationibus & incurſionibus, multis inſignibus, victoriis liberavit, provincias amiſſas reparavit, abductamq; Hieroſolymas Chriſti Salvatoris crucem, quæ putabatur, inque perſidem delatam, recuperavit, feſtumque exaltationis crucis, juxta quoſdam, inſtitui curavit, Baron. ad Ann. 628. §. 4. ut nemo putaret, hunc pietate coruſcantem, fortitudine inſignem, eruditione excellentem, atque regni & gloriæ fines dilatandi cupientem, tantum Eccleſiæ vulnus inflicturum. Verum enim verò, cum non ſolùm ex ejuſmodi donis inſignibus, ὀ διότι, ἀλλ' ὅτι, per abuſum, ut plurimum φιλαυτία, & quæ ex hac vitiorum matre naſcuntur perverſitates, nimirum elatio, ſuperbia, præcipitantia, cæcitas &c. conf. 2. Tim. 3. 2. ſeqq. ortum trahere ſoleant, mirum non eſt, etiam Imperatorem Heraclium, multis egregiis donis illuſtrem, infirmitatibus carnis, inſidiiſque diaboli, ſuccubuiſſe.

§. III.

Equidem, initio Imperij, inſignis de hoc Principe ſpes Eccleſiæ affulgebat, quippe qui Religionem orthodoxam profitebatur, atque Conciliis œcumenicis favebat, nimirum *Nicæno*, Præſide Conſtantino M. Imperatore, Anno 325. contra peſtiferum Arium, Chriſti Deitatem impugnantem, celebrato, referente Euſebio. l. 3. de vit. Conſt. M. c. 6. *Conſtantinopolitano I.* circa annum 381. à Principe religioſo, Theodoſio Magno, ad audaciam Macedonianorum, Chriſti cum Patre ὁμουσίαν evertentium, & ὁμοιουσίαν ſubſtituentium; Impietatem Eunomianorum, Chriſti eſſentiam, poteſtatem & voluntatem divinam, animamque humanam auferentium; & blaſphemiam Antitrinitariorum, qui etiam novi Ariani dicti ſunt, S. S. Trinitatis myſterium, ore blaſphemo, cerberum ſeu triplicem canem infernalem appellantium, coërcendam & delendam convocato. vid. Niceph. lib. 12. c. 3. Nec minus *Epheſino*: Anno 431. ab Imperatore Theodoſio Juniore indicto, ut habet ex Socratis lib. 7. c. 33. & Evag. lib. 1. 3. Comp. Hiſt. Eccl. Goth. lib. 2. c. 3. ſect. 4. & quidem contra Neſtorij furorem, communicationem idiomatum divinorum humanæ naturæ Chriſti non concedentis; ita ut humana de Deo, & vice verſa, in concreto naturarum propriè prædicari, aut Majeſtas divina humanæ naturæ attribui poſſit, e. g. Deus eſt paſſus, filius Mariæ adorandus eſt &c. Neque Mariam Θεοτόκον ſeu Deiparam appellari

Religio prior orthodoxa.

 ſuſti-

ſuſtinentis; ſed tantummodo unitatem ex æquitate dignitatis & poteſtatis &c. ſtatuentis; Chriſtumq; velut alterum, præter ipſum ſpecialiter hominem, ex muliere factum dicentis, pari modo, quo Zvvinglius ſuam allæoſin fingebat, vid. Anathematiſmi Cyrilli ſeu Concil. Epheſini. Ita ſe etiam Imperator propugnatorem præſtitit *Chalcedonenſis* Concilij, auſpiciis Marciani Imperatoris Anno 453. ſecundum Sigebertum, habiti, vid. Cent. V. Magd. cap. IX. col. 524. adverſus Eutychem, unam naturam in Chriſto poſt unionem fingentem, ut infra dicetur: ad cujus Concilij decreta ſuſcipienda, ipſum ſuum ſeductorem Athanaſium Heraclius ſollicitaverat. Tandem etiam favit Concilio *Conſtantinopolitano II.* ſeu V. œcumenico, in quo, procurante Juſtiniano Imperatore Anno circiter 552. tria illa capitula: nimirum Theodori Mopſveſtiæ, & Theodoreti Cyri Epiſcoporum, adverſus Cyrillum Alexandr. & Synodum Eph. I. ſcripta, ut & Ibæ Edeſſeni ad Marin Perſam epiſtola, qua negaverat, *Deum-verbum de ſancta Dei genitrice, & ſemper virgine Maria* (verba ſunt promulgationis Synodi Conſt. cent. VI. Magd. cap. IX. col. 278.) *incarnatum hominem factum &c.* anathematizata ſunt; Itemque Origenes heterodoxè, de animæ Chriſti cum λόγῳ ante incarnationem unitione, de corpore ejus ante unitionem in utero formatione, ſentiens, damnatus eſt. vid. can. 2. & 3. Decreti nominati Concilij l. c. col. 281. Horum Conciliorum acerrimus fuit defenſor, dum non ſolum ubicunque eſſet, orthodoxam Religionem defenderet, ad recipiendas confeſſiones harum Synodorum omnes, adverſè ſentientes, compelleret; ſed etiam Edeſſæ Eccleſias, pulſis Neſtorianis, Catholicis traderet; ut ex P. Diacono Centuriatores Magd. Cent. VII. cap. 2. col. 3. recenſent.

§. IV.

Poſterior heterodoxa.

Sed cum fervida ingenia interdum tàm prona ſint ad virtutes, quàm ad vitia proclivia, etiam Heraclij inuſitatus zelus convertendi alios in magnum Eccleſiæ damnum degeneravit. Citò enim admodum à veritatis tramite ſe abduci paſſus eſt; ſiquidem, cum eſſet apud Hierapolin, ut vult Baron. ad An. 629. §. 3. (alij dicunt Edeſſæ, Forbeſ. l. citando, Zonaras Hieroſolymis, Paulus Diaconus Hierapoli lib. 18.) ad ſe venientem Athanaſium, Jacobitarum Patriarcham, virum acris & nequam ingenij, curioſè & liben-

libenter, magno ſuo damno, ad colloquium Imperator admittit, illumque hominem Eutychianum, legibus Chalcedonenſis Concilij adverſarium, ad meliorem mentem redigere cupiens, ſeipſum in erroris foveam dat præcipitem. Poſtquam enim hunc Athanaſium ingenio præſtantem cognoviſſet, promiſit ei, ſi Chalcedonenſe decretum, de duabus naturis in Chriſto, ſuſciperet, ſe eum Antiochenæ Eccleſiæ præfecturum: Quibus Imperatoris pollicitationibus pellectus, aſtutè ſimulabat Athanaſius, ſe Chalcedonenſe Concilium approbaturum, & confeſſurum duas in Chriſto naturas; ſed ſubjiciebat, quid de operationibus & voluntatibus ſentiendum eſſet, unam, an duas dicere oporteret? quarum vocum novitatibus conſternatus, & ſubtilitates non intelligens Imperator, Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Syrum genere, ac parentibus Jacobitis exiſtentem; & Cyrum, tunc Phaſidis, poſtea Alexandriæ Epiſcopum, conſuluit, qui Monotheletarum ſententiæ fautores, gaviſi ſunt de occaſione hæreticam ſuam opinionem prodendi, unam ſolùm naturalem voluntatem, unamq; operationem confeſſi ſunt. Baron. ad An. 629. §. 3. 4. 5. 6 & 7. Forbeſ. Inſt. Theol. L. 1. c. 1. §. 1. & 2. Itaque Imperator non ſolum hujus Athanaſij laqueo captus, ſed triplici funiculo, Athanaſij, Cyri, Sergij, quos ut Antiſtites Eccleſiæ conſulebat, vinctus ſeu irretitus, ſtudens quidem parti alteri, & veritatem quaſi defendens, penè neſciens, in profundum labitur hæreſis; atque ſic infelix, præclarè partam gloriam obſcuravit. Ut nimium ſuis impiis affectibus indulſiſſe videantur hæreſiarchæ, Conſtantinopolitanus & Alexandrinus, Heraclium ſecundum hanc Apoſtaſiam non ſolùm *piiſſimum*, *& à Deo conſervandum magnum & fidelem Principem* vocantes, ut ex In-& Subſcriptione ἐκθέσεως apparet; item *prudentiſſimum Imperatorem, ſanctas ſuas Eccleſias rectè regentem, & pro pace populi fideliſſimè & decenter cogitantem*, ut habet Cyri Epiſtola ad Sergium: Sed etiam Divino Spiritui, non ſine blaſphemia hoc opus Diaboli tribuentes. Ita etenim Synodus, ex cathedra peſtilentiæ Conſtantinopolitana judicat: *Quoniam omnium Artifex docuit eum* (ſcil. Heracl. Imp.) *prudentiam.* Et Alexandriæ Epiſcopus Cyrus in dicta Epiſt. ad Sergium: *Gratiarum hymnos retuli Domino Deo, qui nobis dedit prudentiſſimum Imperatorem, ſanctas ſuas Eccleſias rectè regentem.* Et porrò: *pro*

pace

pace fideliſsimè populi coram Deo decenter cogitantem; ſed qui eum talem, & in ſpiritualibus conſtituit Deus, ipſe virtutem & fortitudinem condonet &c. vid. Baron. ad Ann. 639. §. 13. & 16. Sed quì poteſt à Deo illuminatus & piiſſimus Princeps dici, qui lædit fidem catholicam, qui favet hæreticis, qui opprimit veritatem? certè longè melius Baronius illum denſâ caligine obſcuratum, ſtupiditate oppreſſum, à quo Deus receſſit, atque ruinam Imperij & deſtructionem procuret, efficiatque, vocat. ad Ann. 629. Quicquid enim laudis habuit, ſecundum priorem religionem habuit. Præterea extremæ impudentiæ & impietatis eſt, Deo id imputare, quod extremè averſatur & odit, quodq; ipſi lemures Eutychianæ impietatis, ingenij ſui gloſſis humanitus confictis, contra Scripturam S. inſtinctu Diaboli excogitarunt. *Quæcunque enim diſsidiorum conciliandorum ratio monſtratur extra & contra divinam veritatem, Spiritum S. auctorem non habet, qui eſt Veritas,* bene inquit *D. Menz.* Diſp. 3. Tom. VI. Gieſſ. §. 3.

§. V.

Occaſio promulgandi Ecthesin.

Et ex jam dictis ſatis apparet, quæ proxima occaſio & anſa fuerit ἔκθεσιν hanc condendi, nempe *Mutatio Religionis Imperatoris Heraclij*. Nam Imperator, ſe ad ſtudia mathematum, aruſpicinæ, & incantationum, convertens, cum penitus ſe illis præſtigiis & ſuperſtitionibus traderet, inſuperque technis ſeducentium, ad caſtra hæreticorum perductus eſſet, ſemelque à Deo averſus, ab ipſo viciſſim, qui juſtiſſimo judicio, à ſe diſcedentes in graviſſima peccata incidere permittit. Rom. I, 28. 29. 30 & 31. fuit deſertus, nihil ad ſuum peſtiferum propagandum errorem, omiſit. Cyrum etenim ſupra memoratum Alexandriæ curavit ordinari Epiſcopum, cui venena ſua ſpargenti, acerrimè Sophronius Epiſc. Hieroſolymitanus reſtitit, ita, ut Cyrus, Sergius, itemque Honorius Papa, in malo conſentientes, omnem lapidem movere coacti ſint, ut hæc ſcintilla veritatis extingueretur. Inde non duas, ſed unam tantum voluntatem injunxerunt docendam, imò diſputationem de duabus operationibus, ſibi maximè obſtantem, planè prohibere ſtuduerunt; Ac ne ulli contradicendi libertas relinqueretur, Imperatorem jam perſuaſum, ut ſua auctoritate & & decreto ea ſtabiliret, facilimè pellexerunt; & ita monſtroſum hoc ſcriptum in lucem prodiit.

§. 6. Quis

§. VI.

Quis autem fuerit ſecundarius auctor? non abs re quæritur: Num Heraclius Imperator, an verò Sergius Epiſc. Conſtantinopol.? Illum tàm Inſcriptio, ita habens: *Expoſitio orthodoxa fidei facta à Piiſſimo & à Deo conſervando noſtro Domino magno Principe Heraclio* &c. quàm etiam Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Maximus &c. conſtituunt: Hunc verò vult Martinus Papa in Secret. tertio. Conc. Rom. §. 1. allegatus à Baron. §. 1. ann. 639. *Sergius autem per epiſtolam propriam ad denominatum Cyrum ſcriptam, eandem ſimiliter unam operationem ſuſcipiens, cum eo irrationabili præſumptione auſus eſt confirmare: & non ſolum hoc, ſed etiam poſt aliquot annos ejuſdem Cyri novæ adinventionis, h. e. per nuper duodecimam indictionem elapſam hæreticam & ipſe conſcribens ἔκθεσιν, i.e Expoſitionem fidei ſub nomine tunc Imperantis Heraclij &c.* Quod & ipſe Imperator edicto ſuo novo confirmaſſe videtur, qua omnibus, tàm in oriente, quàm occidente orthodoxis notum fecit, ἔκθεσιν illam ſuo nomine promulgatam, ſuam non eſſe; ſed Sergij Conſtantinopolitani Epiſcopi ope conſcriptam, atque ſub Imperatoris nomine editam, ad majorem vim ex nomine comparandam. Baron. Ann. 640. §. 8.

Auctor ſecundarius quis fuerit?

§. VII.

Nos facilimo negotio hæc conciliari poſſe putamus, ſi dixerimus: ſuaſu, inſtinctu & ſuggeſtione Sergij & aliorum, ſedium patriarchalium præſulum, veneno hoc infectorum, Heraclium ἔκθεσιν promulgaſſe. Nam hoc ipſe Martinus Pontifex ſentire videtur, quando in citati Concilij Rom. Secret. tertio hæc habet: *Age nunc, & memorati Sergij novæ ἐκθέσεως audiamus commentum, quam ecthesin ſuaſit in tempore ſuo nomine Heraclium quondam Imperatorem titulare.* Baron. ad Ann. 639. § 1. Cui nec Imperatoris edictum, ceu novum aliquod conſilium invidiam orthodoxorum declinandi, obſtat; ſed potius aſſentitur. Videns enim ſe ubique in occidente decantari hæreticum, & nomen ſuum ore omnium maledictis proſcindi, edicto hoc omnem eccleſiaſticam reprehenſionem evitare volebat, unde ſcripſit: *Ἔκθεσις mea non eſt, nec ego dictavi aut fieri juſſi, verum cum eam Sergius Patriarcha, quinque ante annos, condidiſſet, quam ab Oriente redirem, oravit me, poſtquam ad hanc felicem urbem perveni, ut nomine*

Conciliatio.

meo

meo promulgaretur. Ejus hortatu id feci, nunc verò, cum cognoverim eam à nonnullis oppugnari, declaro ad omnes, non eſſe meam. Referente Baron. ex actis publicis ad An. 640. §. 9. Hîc, licet culpam à ſe removeat Imperator, factum tamen non negat; ſed inſtinctu & hortatu Sergij feciſſe affirmat.

§. VIII.

Finis & ſcopus Expoſitionis, pax Eccleſiaſtica.

Quandoquidem autem quicquid efficitur alicujus gratia effici ſolet, ideoque etiam hoc Heraclij edictum, ſuggeſtione prædictorum hæreticorum promulgatum, ſuo fine & ſcopo non carebat; ſed delicatum illud & amabile *pacis* nomen præ ſe ferebat, *conciliationem*, inquam, *diſſentientium Epiſcoporum & Eccleſiarum in Articulo de duabus naturis in Chriſto.* Hoc namq; apertè innuit ipſe Titulus, quod ἔκθεσις facta ſit, *propter emerſam ab aliquibus Altercationem &c. pacemque ſanctis Dei Eccleſiis inferat &c.* Etenim eruditus Imperator non ignorans, ad incrementa Imperij & Reipublicæ plurimum facere concordiam, ſecundum illud: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur,* cum maxima in Imperio gliſcere ſeu potius flagrare ſentiret diſſidia, Eccleſiam omnium malorum lue vexari, neque ſolum incurſionibus externorum hoſtium; ſed præprimis etiam hæreticorum deliriis infeſtari, paucis præſtantibus & celebribus Doctoribus, qui in propaganda ſincera doctrina cœleſti, & in refutandis erroribus, ſuam fidem, conſtantiam & zelum gnaviter præſtarent, exiſtentibus, ſed, qui vel ipſi errores profiterentur, vel novis ceremoniis condendis, & cultibus inſtituendis, ſecundum proprium cerebellum, ſuperſtitiosè operam navarent: adeptus magnum nomen ex repulſis hoſtibus & amiſſis recuperatis, ceu religioſiſſimus aliquis Hiskias, etiam Eccleſiæ, diluvio errorum ferè obrutæ, ſuccurrere voluit; quo disjuncti copularentur, diſperſi colligerentur, paxque & tranquillitas, ut politica, ita & Eccleſiaſtica toti Imperio reſtitueretur. Præprimis, quoniam Gangræna hæc diſſidiorum de duabus nempe naturis in Chriſto negatis ad ipſas Patriarchales ſedes penetrare cœpiſſet, ortâ controverſiâ inſigni inter ipſos Eccleſiæ Propugnatores & Antiſtites, ſub orthodoxia latentes, de una & duabus voluntatibus & operationibus in Chriſto, e. g. inter Sophronium Patriarcham Hieroſolymam cum ortho-

doxis

doxis duas; & Cyrum Alexandriæ cum Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopis, unam defendentes. leg. Baron. ad Ann. 633.

§. IX

Erat hic altercationum fœtus ſurculus ab Eutychianiſmo decerptus, unde operæ pretium erit tum originem, tum progreſſum Eutychianiſmi, partim ex actis Concilij Chalcedonenſis & Conſtantinopolitani II. prout apud Cent. Magd. habentur, partim ex aliis monumentis hiſtoricis hîc paulò altius repetere. Et quidem verbis Boëthij, qui, *Eutyches*, inquit, *aſſerui, tantum abeſſe, ut in Chriſto gemina perſona credatur, ut ne naturam quidem duplicem in eo oporteat confiteri. Ita quippe eſſe aſſumptum hominem: ut ſit ea adunatio facta cum Deo; ut natura humana non manſerit. Hujus error ex eodem, quo Neſtorij, fonte prolabitur. Nam, ſicut Neſtorius arbitratus eſt, non poſſe eſſe naturam duplicem, quin perſona fieret duplex; atque ideo, cum in Chriſto naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit eſſe perſonam: ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem eſſe, ſine duplicatione perſonæ: & cum non confiteretur, duplicem eſſe perſonam; arbitratus eſt conſequens, ut una videretur eſſe natura Itaque Neſtorius rectè tenens duplicem in Chriſto eſſe naturam; ſacrilegè confitetur, duas eſſe perſonas: Eutyches vero, rectè tenens, unam eſſe perſonam; impiè credit, unam quoque eſſe naturam. Qui convictus evidentiâ rerum (quandoquidem manifeſtum eſt, aliam naturam eſſe hominis, aliam Dei) ait, duas ſe confiteri in Chriſto naturas ante adunationem; unam verò poſt adunationem &c.* Ab hac falſiſſima doctrina, cùm Eutyches ſe, à familiari Euſebio Dorylæo fraternè admonente, abduci non permitteret, ab eodem ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolit. Præſidem tum temporis convocatæ Synodi Conſt. II. delatus, inque dictâ Synodo apertè Valentinianiſmi & Apollinariſmi convictus, excommunicatus & damnatus eſt. vid. Cent. V. Magd. cap. 9. col. 514. ſeqq. Sed parum hîc Flaviani, Euſebij, reliquorumque Epiſcoporum opera profuit. Quandoquidem non ſolùm Imperatorum Theodoſij & Valentiniani, malè ab Eutychianis informatorum, juſſu, prædicta Synodus circa Annum 455. repetita, ejuſque acta examinata; Verum etiam in Concilio Epheſino prædatorio dicto, præſide Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino Eutychiano, in favorem Eutychis

Origo diſſenſus hujus Eutychianiſmus

congregato, acta Synodi II. Conſtantinop. reſciſſa, orthodoxi decreto quodam iniquo, crimine ficto, quaſi Euſebius cum Flaviano fidem Nicænam, addendo vel demendo quæ voluiſſent, corruperint, Neſtorianos confirmarint, paganis & Judæis irridendæ religionis Chriſtianæ occaſionem præbuerint, Cent. V. Magd. Cap. X. col. 599. damnati atque exilio mulctati; ipſe Flavianus, appellationem à judicio hoc perverſo interponens, vi proſtratus, pedibusque ita conculcatus eſt, ut triduo poſt animam efflaret. Potiti ergò victoria heterodoxi, Dioſcoritæ tum dicti, cum orthodoxi ob impium Chryſaphium, aulicum Imperatoris, imò ipſius Eutychis, acta Synodi corrumpentis, fraudem, emergere non poſſent; ſed innocentia penitus conculcata videretur; Leo Pontifex Rom. flagitante Euſebio, in Concilio Romæ habito, acta Epheſina examinavit, veritatemque per vim ſuppreſſam inveniens, œcumenicâ aliquâ Synodo Eccleſiæ preſſæ ſubvenire allaboravit, quam poſt mortem Theodoſij à Marciano Imperatore impetravit. In quo Concilio, Chalcedonenſi nimirum in Bithynia 530. Epiſcopi comparuere, qui, Præſidente ipſo Imperatore, & præſente Dioſcoro cum ſociis, acta Synodi Epheſinæ II. ſuſtulerunt, fidem Nicænam & Synodi Conſtantinopolitanæ ſtabiliverunt, *&*, ut verba Zonaræ ex Centuria Magd. V. c. 9. col. 529. & 531. uſurpem, *anathemate eos notarunt, qui filios binos ſtatuerent; & divinitatem paſſibilem aſſererent; quique temperamentum & confuſionem duarum naturarum ſentire & profiteri auderent; aut duas naturas in Chriſto ante unionem, aut unam poſt unionem confingerent: Quique formam à Domino ex nobis aſſumtam vel cœleſtem vel alterius naturæ, fabularentur. Statuerunt autem, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, perfectum eſſe in divinitate, & perfectum in humanitate, verè Deum & verè hominem, qui animâ ratione præditâ & corpore conſtet: ejuſdem cum patre naturæ, ſecundum divinitatem; ejuſdem naturæ nobiſcum, & ſimilem per omnia nobis peccato excepto: qui unus & idem in duabus naturis, citra confuſionem, citra mutationem, citra diviſionem, citra ſeparationem, agnoſcatur: ſervatis utriuſque naturæ proprietatibus, & in unam perſonam & unam hypoſtaſin conſpirantibus.* Hæc ſummatim Zonaras. Orthodoxi præterea ab exilio revocati, Dioſcorus verò excommunicatus & ad Paphlagoniæ civitatem

ctum

Gangras relegatus eſt; omnibuſque præterea interdictum graviter Synodi hujus decretis contradicere. Sed nec ita radix mali planè extirpari potuit, quin diu adhuc in Eccleſia pullularet. Licet enim Eutyches in exilium pulſus, in hæreſi miſerè perierit, dogma tamen non extinctum; ſed quaſi radices altius agere cœpit, cum non deſiſterent, qui areſcentes fibras reſtaurarent, novisque artibus excitarent, tutelam partim ſubminiſtrantibus Imperatoribus Eutychianis: Baſiliſco, Juſtiniano à conjuge Theodora decepto; & Syncretiſtis: Zenone, Anaſtaſio, &c. partim indefeſſum laborem adhibentibus Eccleſiæ Antiſtitibus, præprimis in duabus peſtilentiæ ſedibus, Conſtantinopolitanâ & Alexandrinâ, quales fuere: Anthimus & Baſilides Conſtantinop. Timotheus Ælurus Proterij interfector, Petrus Mongus, eorumque veſtigiis inſiſtentes Athanaſius, Johannes duo, Machiota ſeu Niciota & Mela, Dioſcorus junior, Gajanus, à quo Gajanitæ, Theodoſius, à quo Theodoſiani dicti, omnes Epiſcopi Alexandrini: Imò quotquot tandem ad 150. annos Chalcedonenſi Synodo contradixerunt, & vel Acephali, quod nullum haberent certum caput ſuæ ex Neſtorianiſmo & Eutychianiſmo conflatæ hæreſeos, ut obſ. Ado Viennenſis in Chronic. part. 6 ad An. Ch 458. & Nizeph. Call. lib. 18. c. 45. ſive, quod Patriarcham ſuum Petrum Mongum Unitivum Zenonis recipientem minimè ſequerentur, ſed ſeorſim communicarent, etiamſi palam poſtea in Chalcedonenſem Synodum anathema conjiceret. vid. Forb. cap. XIV. lib. 3. Inſt. Hiſt. Theol. vel Jacobitæ, à Jacobo Zanzalo Syro, Eutychianiſmum in Syria proponente, cujas fuit Athanaſius, ſeductor Heraclij Imperatoris, quorumque reliquias in oriente adhuc ſuo tempore latiſſimè patuiſſe, teſtatur D. Chytræus orat. Roſtoch. A. 1569. habita, de ſtatu Eccleſiarum in Græcia & Aſia ſui temporis, cit. ante Forb. l.d. Vel Theopaſchitæ, Aphthardocetæ ſeu Severitæ à Severo, Agnoëtæ, vel tandem generali nomine Monophyſitæ appellati ſunt. Nam ſicut error plerunque ibi non ſubſiſtit, ubi incipit, ſed ſemper latius ſerpit, ſecundum πολυθρύλλητον illud Ariſtotelis: ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος πλείω ἕπεται, *dato uno abſurdo plura ſequuntur*. lib. 1. Phyſ. c. 2. ita etiam hæc errorum propago, infinitos ſchiſmaticos diſcordiæ ramos protruſit. Imò, non tantum diverſis ſententiis pugnabant aperti Eutychiani, Chalcedonenſe Concilium non admittentes;

ſed & Eccleſia vexabatur à crypto-Eutychianis, externè quidem fidem Chalcedonenſem profitentibus, ſed hypotheſes Eutychis in multis ſervantes. Quò pertinet controverſia de phraſi illa, an dici poſſit: Unus ex Trinitate paſſus eſt? inter Victorem quendam Diaconum, à parte ſua habentem Legatos Hormiſdæ, rejicientes hunc modum loquendi, ceu Patribus inuſitatum & ipſo ſenſu hæreticum; & Monachos quoſdam Scythas ex altera parte, ab Hormisda poſtea damnatos, & hæreticos pronunciatos. vid. 5. Conc. in libris Epiſt. Hormiſdæ. Utebantur crypto-Eutychiani ejuſmodi phraſibus; quæ utrumque ſenſum admittebant, ad imponendum rectè ſentientibus; Ita cum orthodoxis patribus, contra Neſtorium, perſonarum unitionem ſubſiſtentialem, ſecundum illuſtrationem aut affectionem dicentem, adhibebant ſubſtantialis ſeu naturalis unitionis voces; ſed alio ſenſu. Patres enim intelligebant unitionem naturalem ratione terminorũ uniendorum, ut Neſtorio contradicerent, perſonalem ratione terminorũ uniendorum dicenti; illi vero ratione termini ad quem ita dicebant, ac ſi illa unitio ſe in unam naturam terminaſſet, quod Eutyches etiam docebat. Tandem vero, cum nec ita ungues ſuos occultare poſſent, alio modo hanc hæreſin cœperunt proponere, Macarius, Sergius, Pyrrhus, Petrus, Paulus &c. Conſtantinopolitani, & Cyrus Alexandrinus, itidem crypto-Eutychiani, Monotheletæ dicti, ubique quidem orthodoxiam & Chalcedonenſem fidem crepantes; & tamen ſub una voluntate & operatione, unam naturam compoſitam inſtillantes, & hâc ſuâ fraudulentiâ, & doloſis machinationibus furtim erroneas opiniones invehebant, & in Eccleſiam diſſeminabant, ut lues illa totam orientem occuparet, imò etiam Africam infeſtaret. teſt. Cent. VII. Magd. cap. V. col. 62.

§. X.

Remedia adverſus hæreſin Eutychianorum adhibita.

Hiſce ab Eutychianis excitatis turbis ſedandis, varia quidem applicata erant remedia. Obviam enim itum eſt tàm Eutycheti, quàm ejus ſectatoribus, ſcriptis, diſputationibus, Conciliis, Anathematiſmis, ut in præcedentibus aliquo modo dictum; imò, quæ potuerunt, cùm à Politico, tum ab Eccleſ. Ordine, adhibita ſunt remedia. Sed quâcunque tandem viâ animorum ſymphonia tentaretur, verum tamen ſemper illud manſit Apoſtoli: *Oportet & hæreſes inter vos eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* 1. Cor.

XI.

XI, 19. Heraclius itaque, cum neque damnando malè ſentientes, ut in Conciliis fiebat, neque libertatem ubique concedendo, ut Zeno Imperator tentaverat, tranquillitati conſultum videret, humanâ ſuâ fretus prudentiâ, concordiam inter partes futuram ſibi perſuaderi paſſus eſt, ſi medium aliquod proponeretur, quo conſenſus ad ſpeciem internus in doctrina, ſine quo externus perſiſtere non poſſet, conflaretur, in quo omnes, tum exiſtentes hæretici, pariter convenirent, nimirum, ſi duæ in Chriſto naturæ cum orthodoxis, & una ſolum voluntas cum Eutychianis, ſtatueretur. Nam in eo & Apollinariſtas, verbum loco animæ in Chriſto ponentes convenire, rectum erat; Item ipſos Neſtorianos in eandem de una voluntate ſententiam conſentire, patebat, quòd unionem Dei & hominis ſecundum ſolum effectum & voluntatem ponerent: Eutychiani verò, unam duntaxat naturam in Chriſto ſtatuentes, peculiares hujus ſacrilegij aſſertores videbantur. teſte Maximo in Diſp. cum Pyrrho Monotheletâ, apud Baron. §. 6. ad Ann. 628. Vanâ igitur ſpe demulcebatur Heraclius, quod putaret hac novitate, aut dogmate, de quo in præcedentibus conciliis nihil adhuc definitum eſſet, ſe id præſtiturum, quod antehac à tot politicis & theologis veritate obtineri non poterat: Erat illis hoc inventum, quo plus aliis ſibi ſapere videbatur, inſtar *Moxæ* noviter inventæ, quâ incurabilem diſſidiorum podagram ſanari arbitrabatur; cum tamen, ſub delicato nomine ſanæ tranquillitatis, doloroſam veritati catholicæ inurerent notam.

§. XI.

Juvat hîc medium illud, à medio ſeu via regia deflectens, omnium conſpectui ſiſtere, atque ex. Annalium Baronij §. 8. anni 639. quoad ipſa verba ex actis Concil. Rom. ſub Martino Pontif. habiti, citata, apponere, Quod ſic habet:

Expoſitio orthodoxæ fidei, facta à piiſſimo & Deo conſervando noſtro Domino magno Principe Heraclio, propter emerſam ab aliquibus altercationem pro requiſitione operationis, conſonans in omnibus ſanctis & univerſalibus quinque conciliis: quam cum multa ſatisfactione & gratia exceperunt Patriarchalium ſedium Præſules, & gratanter ei conſenſerunt, utpote pacem ſanctis Dei Eccleſiis inferentē. Titulus.

Credimus in Patrem, & Filium, & Sp. S. Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem, ſeu naturam & eſſentiam, virtu- de Trinitate confeſſio.

temque

temque & poteſtatem in tribus ſubſiſtentiis ſive perſonis, cognoſcentes uniuscujuſque ſubſiſtentiæ familiaritatem, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unitatem quidem ſecundum eſſentiæ ſive Deitatis rationem. Trinitatem autem ſecundum ſubſiſtentias ſive perſonas: nec enim unum ſecundum eſſentiam confitentes, à perſonarum differentia excedimus: neque autem Trinitatem perſonarum confitentes, unam denegamus Deitatem, unus Deus Pater, unus Deus Filius, unus Deus Sp. S. unus hæc tria Deus in eadem & immutabili Deitatis ratione. Nam perſonarum differentia Deitatis ſive eſſentiæ non infert diviſionem. Unam igitur confitemur Deitatem, familiaritates inconfuſas ſervantem, & non in unam perſonam tribus nominibus nuncupatam aſſerentes hæc tria ſecundum Sabellium, neque autem in tres eſſentias unam Deitatem dividentes, aut extraneum facientes à Patris eſſentia Filium, aut Sp. Sanctum, ſecundum inſaniam Arij. Unum enim eſt in tribus, Deitas, ut dicit Magnus Gregorius in Theologia, & tria unum, in quibus Deitas, ſive, (ut veriſſime dicatur) quæ Deitas.

De verbi Incarnatione aſſertio.

Confitemur autem unum ſanctæ Trinitatis unigenitum filium Dei, Deum verbum à Patre progenitum ante omnia ſecula, lumen de lumine, ſplendorem gloriæ, unitum paternæ ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, in extremis diebus propter nos & propter noſtram ſalutem deſcendere de cœlis, dignarique in intacto utero ſanctiſſimæ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ habitare. & ex ea conglomerantem ſibi carnem in una ſubſtatntia, animam habentem rationalem atque intellectualem, natum eſſe ab ea, & ſemper manentem perfectum Deum, eundemque fieri perfectum hominem inconfuſè atque indiviſè, conſubſtantialem Deo & Patri, ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ſecundum humanitatem, & per omnia ſimilem nobis ſine peccato. Unde & duas nativitates ejuſdem unigeniti Dei verbi confitemur, unam ante ſecula à Patre, ſine tempore, & incorporabiliter, alteram ipſius in extremis diebus à ſancta intactaque Dei genitrice, & ſemper virgine Maria cum animato intellectuali ejus corpore.

Quapropter ſanctam, & nimis laudabilem ſemper virginem Mariam rectè & veraciter Dei genitricem prædicamus: non quia Dei verbum initium ab ea accepit, ut eſſet, ſed in extremis diebus incarnatus, ex ea immutabiliter homo factus eſt, & paſſionem pro

nobis

nobis ſpontaneam carne ſuſtinuit. Compoſitum autem Chriſtum glorificamus, ſanctorum Patrum ſequentes doctrinam. Pro myſterio enim, quod in Chriſto eſt, per compoſitionem unitio & confuſionem & diviſionem ejicit, & ſervat quidem utraque natura proprietatem, unam autem ſubſtantiam & unam perſonam Dei verbi cum animatâ intellectualiter ejus carne oſtendit, neque quaternitate nobis pro ſancta Trinitate introducta : abſit : nec enim quartæ perſonæ additamentum ſancta Trinitas ſuſcepit, incarnato uno ex ea Deo verbo. Neque autem alter erat, qui miracula operabatur ſicut Deus, alter autem, quam ipſe, qui paſſiones ſuſtinuit; ſed unum eundemque filium confitemur, Deum ſimul & hominem, unam ſubſtantiam, unam perſonam paſſibilem carne, impaſſibilem Deitate, perfectum Deitate, perfectum eundem humanitate, & ipſius miracula & paſſiones, quas ſpontè ſuſtinuit corpore.

Unde ex duabus naturis unum Chriſtum confitemur, unum filium, unum Dominum, unam perſonam, unam ſubſtantiam compoſitam, & unam naturam Dei verbi incarnatam corpore animato intellectualiter, ſicut Cyrillus Magnus ſapuit & docuit: Et in duabus naturis eundem eſſe glorificantes, ut in Deitate & humanitate unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum cognitum eſſe confitemur; differentiam per hunc modum ſolum ſignificantes naturarum, pro quibus inconfusè ineffabilis unitas facta eſt. Nec enim Deitas transmigravit in carnem, neq; caro in Deitatem transmutata eſt, ſed in proprietate naturali, & pro uniuſcujuſque ſubſiſtentiæ unitate utrumque permanſit.

Unde unum ſcimus Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex initium-non habente Patre, & ex intacta matre, eundem ante ſecula, & in extremis diebus conſtitutum, impaſſibilem atque paſſibilem, viſibilem & inviſibilem, unius ejuſdemque miracula & paſſiones prædicamus, & omnem divinam & humanam operationem uni eidemque incarnato Dei verbo tribuimus, & unam ei offerimus venerationem ſpontè & veraciter propter nos crucifixo in carne, & exſurgenti ex mortuis, & in cœlos aſcendenti, & reſidenti in dextra Patris, & iterum venienti judicare vivos & mortuos: Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere ſive docere operationes in divina Domini incarnatione, ſed magis (ſicut ſanctæ & univerſales tradiderunt Synodi) unum eundemque Filium

lium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum confiteri, operari divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem, ex uno eodemque incarnato Deo verbo indiviſè & inconfuſè procedere, & in unum eundemque ſortiri; eo quod unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta eſt, tamen turbat & exterret quorundam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam eſſe duarum naturarum, quæ in una ſubſiſtentia unitæ ſunt in Chriſto Deo noſtro.

Impugnatio duarum in Chriſto voluntatum.

Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, utpote à nemine dictam ſanctorum & præcipuorum Patrum: Sed & ſequi in eo, ut duas confiteamur voluntates, contrariè ad invicem venientes, Deo quidem verbo volente ſaluberrimam paſſionem explere, incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipſius voluntati, & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium eſt, & extraneum Chriſtiani dogmatis.

Si enim inſanus Neſtorius, licet dividens divinam Domini noſtri humanitatem, & introducens filios duos, voluntates iſtorum dicere non eſt auſus, è contrario autem conſonantem voluntatem in eo, formatis duabus perſonis, confeſſus eſt: quomodo poßibile eſt, orthodoxam confitentes fidem, & unum Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum glorificantes, duas & has contrarias voluntates in eo ſuſcipere?

Unde ſanctos Patres in omnibus & in hoc ſequentes, unam voluntatem Domini noſtri Ieſu Chriſti veriſsimi Dei confitemur, utpote in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis ſeparatam, nec ex proprio impetu contrario motu, unito ei Dei verbo in una ſubſtantia, naturalem producere ejus motionem, ſed quando & qualem & quantam ipſe Deus verbum voluerat. Hæc pietatis dogmata nobis tradiderunt qui ab initio præſentialiter viderunt, & miniſtri verbi facti ſunt, eorumque diſcipuli & ſucceſſores, quiq; ſequenter à Deo inſpirati Eccleſiæ Doctores, i. e. ſanctæ & univerſales quinque Synodi beatorum à Deo ſuſceptorum Patrum, i. e. qui in Nicæam & in hanc regiam civitatem, necnon in Epheſum primum & in Chalcedonem, & iterum in Conſtantinopolin in quinto congregati ſunt concilio.

Et hæc in omnibus ſequentes, & divina eorum ſuſcipientes dogmata, omnes, quos exceperunt, excipimus, & omnes, quos ejecerunt,

runt, ejicimus & anathematizamus, præcipuè Novatum, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Evagrium, Didymum, Theodorum Mopſveſtenum, Neſtorium, Eutychen, Dioſcorum, Severum, & impia ſcripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem & Epheſinam primam Synodum & duodecim capitula ſancti Cyrilli, & quanti pro Theodoro & Neſtorio conſcripſerunt, & nuncupatam Ibæ epiſtolam: & hortamur omnes Chriſtianos ſic ſapere & ſic glorificare, nihil addentes his, nihil ſubtrahentes, nihil transmutantes, ſecundum quod ſcriptum eſt. Definitiones æternales à Deo inſpirati Eccleſie Sacerdotes ad ſalutem cunctorum præfixerunt.

Heraclius fidelis in Ieſu Chriſto Deo Princeps ſubnotavit.

Hæc illa ἔκθεσις eſt, illud pomum ἔριδος, illa pietatis & pacis larva, quæ multa quidem ſecundum catholicam fidem, ad imponendum non cautis ingerit, e. g. proponit Doctrinam de Deo in eſſentia uno & trino in perſonis; producit ſententiam de Chriſto Concilij Epheſini, de duabus ejus naturis, ſecundum mentem Concilij Chalcedonenſis: ſed cum hoc melle venena miſcet. Præterquam enim, quod generalibus vocabulis, quibus tegi ſolet hæreticorum pravitas, utatur, item quaſdam phraſes liberius ante ortum Neſtorium & Eutychen, à priſcis uſurpatas, poſt illos verò non ita commodas e. g. Conglomerationem carnis in una ſubſtantia, item compoſitam ſubſtantiam, & unam naturam incarnatã &c. corradat; qualis ſit pacis præco ſatis oſtendit ſententiâ de operationibus, quod neque una neque plures dicendæ ſint; ut & de voluntatibus, quod non duæ ſint; ſed una. Ne tamen hujus aſſerti fundamento deſtitui videatur, hoſce graviſſimos errores non ſcripturæ oraculis, quod non poterat; ſed, hæreticorum more, conſenſu Antiquitatis ſe probare potius jactat, quàm probat. Inſuperque ut omnibus modis orthodoxa videatur, hæreticorum nomina, quæ tum inviſa erant, damnat, quorum tamen hypotheſes in multis retinet & ſequitur. Ut igitur unicuique evidentius perverſitas hujus ſcripti pateat, præmiſsâ hâc ſynopticâ quaſi recenſione, ad Tractationem ſeu examen ipſum recitatæ ἐκθέσεως, unâ vel alterâ quæſtione propoſitâ inſtituendum, deſcendemus.

 Quæ-

§. XII.

Quæſtio I. An Heraclius habuerit poteſtat. edendi ἔκθεσιν? Negatur à Pontiff.

Quæritur ergo primum: An Heraclius habuerit poteſtatem tractandi rem hanc Eccleſiaſticam? Negativam his Baronius defendit verbis: *Quid enim*, inquiens, *pertinet ad Imperatorem fidem exponere, & de rectè credendo formulam Eccleſiæ catholicæ præſcribere? Eſt Imperatoris oblatam ab Epiſcopis accipere fidem, non Epiſcopis dare, ut ſæpè teſtati ſunt Patres, & inter eos S. Ambroſius ad Valentinianum*; *Nemo orthodoxorum debuit conſentire*, (ſc. huic ἐκθέσει) *etiamſi in omnibus catholica videri potuiſſet.* ad Ann. 639. §. 9. Et paulò antè ad Ann. 629. §. 12. *Suo ſemper damno*, dicit, *ſe immiſcuiſſe Principes in dogmatibus decernendis, plurimis ſuperius eſt declaratum exemplis*; *quod maximè in Heraclio perſpicuum demonſtratur &c. Satis Principi ad ſalutem, ut obortas de fide quæſtiones deferat ad primam ſedem, & à qua controverſiæ dirimantur, cujus arbitrio (ſi cauſa exigat) & univerſale concilium congregetur, atque interim ipſe nulli ſe implicans novitati, affectu liber, quid ab Eccleſia decernatur, exſpectet, ut ſequatur.* Et hoc quidem ex communi Pontificiorum ſententia, qui ſua doctrina & praxi Magiſtratui politico, ceu laico, omnem curam ſacrorum & jus examinandi doctrinam publicam, penitus eripiunt, eumque tantum eorum quæ â clero ſtatuta ſunt executorem faciunt. Generale ſiquidem apud illos interdictum eſt. T. 1. Decret. judic. c. 2. *Decèrnimus, ut laici Eccleſiaſtica tractare non præſumant*, quod clarius explicat Cenſura Colonienſis Art. XII. *Illud eſt certum, alienum eſſe à Principe Rempublicam adminiſtrante, definire dubia circa fidem, ſed hoc relegandum ad ſolos Sacerdotes*; *Deinde hoc tantum eſſe Magiſtratus officium quoad religionis negocium, ut in eos, quos Pontifices pœnâ percellendos putant, animadvertat, imò, etiamſi Magiſtratus animadvertat, quoſdam errores & abuſus in rebus Eccleſiaſticis irrepſiſſe*; *non tamen illi licet reformationem inſtituere, ſed Sacerdotes benignè admoneantur, quod ſi admonitionibus nihil proficitur, ſummus eſt alius in Eccleſia præſul, ei deferendum eſt id negocij.* Quæ verba Exc. D. D. Præſ. allegavit Diſp. de Beneficiis Miniſterio B. D. Lutheri Mag. Pol. exhibitis. §. 15. conf. Bellarminus lib. 1. de Pontif. Rom. c. VII. & Becanus Man. contr. lib. V. c. XIX. Cum quibus convenit praxis, dum tempore Reformationis Paulus III. Carolum V. arguiſſe refert B. D. Lutherus

Tom.

Tom. VIII. Jen. Germ. p.208. Es gebühre nicht einem Käyſer/ noch jemand ein Concilium anzuſetzen / auch nicht ein National, ſondern allein dem Pabſt/ der allein Macht habe zu ſetzen/ ordiniren/ſchaffen alles was in der Kirchen zu glauben und zu leben iſt.

§. XIII.

Contra verò ſtat noſtrorum ſententia, qua Anti-Chriſtianam Pontificiam Monarchiam,deſcriptam 2. Theſ. 2, 4. deteſtantes, utique Imperatori, Regibus, aut aliis quibuſvis ſupereminentibus Magiſtratibus curam religionis cum ſcriptura, abſtracta religionis ſeu cultus qualitate, tribuunt, ut in quacunque, quam pro vera & divina habuerint, religione, poteſtatem hanc ſuam decenter exercere, teneantur. vid. B. Lutherus ad Quæſtionem illam: Ob die Obrigkeit falſcher Lehr und Ketzerey wehren ſolle? Tom. V. Jenenſ. Germ. f. 155. Comm. in Pſ. 82. D. D. Calovius ita: *Magiſtratus Chriſtianus à cura Sacrorum & Religionis adeò excludendus non eſt, ut eadem ipſi vel imprimis incumbat. Non quidem poteſt conſcientias ad fidem & religionem cogere, poteſt tamen doctrinam & profeſſionem publicam ſancire, & per ſymbola atque juramenta in ea præſtita adſtringere, quæ nemini eludere fas eſt ſub prætextu libertatis conſcientiæ.* Synopſ. Contr. Art. 16. poſ. 4. & 6. *Finis enim Magiſtratus eſt, ut nos privati Chriſtiani tranquillè, piè & honeſtè vivamus. Hîc certè non ſufficit tranquillitas à publicis latrociniis, ſed conſtitutiones, leges, judicia ſuper religione, pietate, honeſtate omnium & ſingulorum ſubditorum*, ut inquit Magnif. D. D. Seb. Schmidius, Præceptor meus ætatem venerandus. Coll. Bibl. ad dict. 1. Tim. 2. 1, 2. §. 22. Idque ſecundum libros noſtros ſymbolicos. Nam verba Artic. Smalcald. Form. Concordiæ inſertorum p. 350. ita ſonant: *Imprimis autem oportet præcipua membra Eccleſiæ, Reges & Principes, conſulere Eccleſiæ & curare, ut errores tollantur, & conſcientiæ ſanentur, ſicut Deus nominatim Reges hortatur: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Et primitivæ Eccleſiæ praxin, quam multis oſtendit Excell. D. D. Præſes in Antiquit. ſuis Eccleſiaſticis Secul. IV. Art. II. Sect. I. §. 132. ſeqq. **Affirmatur à nobis.**

§. XIV.

Sed hanc extenſivè abſolutam, Magiſtratui & Principibus in eminenti Majeſtate conſtitutis, poteſtatem concedentes, non **Non ſimpliciter.**

 inten-

intenſivè abſolutam, ac ſi pro arbitrio, quicquid libuerit, ipſis etiam liceat, verùm lege divina, naturæ & gentium limitatam intelligunt. *Sicut enim indigniſſimum fuerit Principi, ſuam autoritatem & potentiam conferre ad confirmandam Idololatriam & cætera infinita flagitia*, ut loquuntur Articuli Smalcald. l. c. Ita etiam inſignis abuſus foret poteſtatis, ſi novam Doctrinam ſacr. Literis contrariam exeogitare & Eccleſiæ obtrudere; ſi externam curam ad internum animorum Dominium extendere, ex poteſtate Eccleſiaſtica ſpiritualem facere; ſi non contentus officio ſibi commiſſo, miniſterij Eccleſiaſtici munus etiam ad ſe rapere, exemplo Uziæ cap. 26. v. 19. 2. Par. aut miniſtris Eccleſiæ leges, cum officij, ipſis demandati, partibus pugnantes, e. g. de non adhibendo elencho in populo informando, de non monendo de vitandis Pſeudoprophetis, & non nominandis falſis Doctoribus &c. contra, Eſ. 58. 1. &c. Tit. 1. 9, ſeqq. 2 Tim. 4. 2. præſcribere vellet. De quo exceſſu & abuſu poteſtatis conqueſtus eſt B. D. Lutherus, dum expoſitâ incredibili ordinis Eccleſiaſtici Tyrannide adverſus politicum ſtatum, ne Cæſaribus quidem & Regibus exceptis &c. ſubjungit: Nun aber das Evangelium an Tag kommen/ und klärlich unterſcheid gibt zwiſchen Weltlichem und Geiſtlichem Stande/ und lehret dazu/ daß Weltlicher Stand ſeye eine Göttliche Ordnung/ der jederman gehorchen und Sie ehren ſolle. Da ſind Sie frölich worden/ daß Sie loß und frey ſind/ und die Geiſtlichen Tyrannen die Pfeiffen einziehen müſſen/ und ſich das Spiel gleich umbkehret ꝛc. O das kützelt Sie ſo wol/ daß Sie auch ſchier nicht wiſſen/ wie muhtwillig Sie ſolcher Gnaden und Freyheit mißbrauchen wollen Tom. 5. Jen. Germ. fol. 148. in Præf. Pſ. 82. *Nam jura Eccleſiaſtica habere, quantum ad diſpoſitionem externam, non eſt dominari, ſed proſpicere animabus, præſcribere non abſolutè, ſed ex agnito typo Doctrinæ & conſilio Doctorum*, egregie dicit D. Joh. Adam. Oſiander. lib. I. c. 3. annot. ad th. 16. Hug. Grot. de I. B. & P. *Modum quidem docendi vel prædicandi poteſt præſcribere; modum adminiſtrandi Sacramenta poteſt diſponere; quia hæc τὰ ἔξω concernunt: non autem res ipſas pro arbitrio ſuo ſancire, & ad ea, quæ ad τὰ ἔσω ſpectant ſeſe ingerere: in quibus aliquid immutare, ne ipſe quidem Pont. R. valet, quin ſe AntiChriſtum oſtendat.* ait Theologorum Senior D. Calov. Syſt. Theol.

Tom.

Tom. VIII. Art. 3. c. 5. p. 341. Siquidem, licet non ita horrida phraſis ſit, Imperatorem, Regem, ſeu quemcunque M. Politicum ſupereminentem eſſe caput Eccleſiæ, quam Pontificem, ſi de membri Principis dignitate & ſumma inſpectione accipiatur, quoniam ipſa Scriptura S. Capitis titulo Reges ornat, & Clerum ei ſubſternit 1. Sam. 15. 17. Non tamen, quoad Dominium internum Caput Eccleſiæ dici debet, quod ſolus eſt Chriſtus. Magiſtratus autem Politicus, ſi eſt pius, eſt pars tantum Eccleſiæ, & quidem ejus nutritius, nec debet Eccleſiæ rectè ſentienti, & dextrè judicanti jus ſuum eripere. vid. D. Calov. Judic. Theol. ad Berlinenſes A. 1666. p. 19. Quicunque igitur Magiſtratus ultra ſcripturam ſapere voluerit, abutitur ſuâ poteſtate, neque Eccleſia illi ad obediendum obligata eſt; cum obedientia Magiſtratui debita, uſque ad aram, non ultra progrediatur. Quod benè obſervarunt Status Imperij Suedici nobiliſſimi, Sigiſmundo Regi, Pontificiam Idololatriam introducturo, obſequium denegantes, neque falſos Doctores, Anti-Chriſti ſatellites, recipientes, ſed regno ejicientes. Item Rigenſes in Livonia, ſe, cum tempus Calendarij Gregoriani juberentur obſervare, ex templis ſubducentes, apud Calviſ. ad Ann. 1585. Idque exemplo priſcorum, nempe Athanaſij, Arium Alexandriam revertentem, literis licet Imperatoris inſtructum, in Eccleſiam tamen admittere nolentis; ſicut nec Alexander, Anteceſſor ipſius, eundem recipiebat, ne ſocietatem Eccleſiaſticam cum hæreticis inire viderentur. plura exempla videantur citata ab Excell. D. Præſide in Antiquit. Sec. IV. Art. II. Sect. I. §. 13.

§. XV.

Sed adhibitâ diſtinctione.

Et ex hiſce jam in aprico eſt, quid de Heraclij facto ſentiendum, utrum juſtè an injuſtè egerit? Diſtinctione namque opus eſſe arbitramur, inter theſin & hypotheſin. In theſi loquendo utique competebat Imperatori, ut ſollicitus eſſet de orthodoxa ſubditorũ fide & doctrina, tanquam pius Pater, cui non tam filiorum temporalis, quàm etiam æternæ ſalutis cura ſuſcipienda erat: imò *impiè feciſſet, ſi huic ſuo officio defuiſſet, nec poteſtate ſuâ Eccleſiaſticâ uſus fuiſſet*, docet Magn. D. D. Seb. Schmidius theſ. 21. diſp. 29. in coll. priv. ad diſputandum propoſitâ. Competebat illi, ut ſollicitus eſſet de compoſitione diſſidiorum, præprimis religionis, ſiquidem hæc maximas belli faces excitaverunt, nec unquam in ci-

In theſi competebat Imperatori.

vilibus

vilibus ſubditorum animi coaleſcunt, niſi in ipſa actionum ſumma, in Religione ſcilicet prius convenerint, atteſtante Schönborn. Polit. lib. III. cap. XI. & plurima exempla demonſtrant. Competebat illi, ut ſollicitus eſſet, de publicandis fidei edictis: Quorſum enim generale ejuſdem officium? quippe cum teſte Apoſtolo Rom. 13. 1. poteſtas ejus ſit ſupereminens, cui omnis anima, Sacerdotibus minimè exceptis, ſubjecta eſt; certè & jus νομοθετικὸν habeat oportet, circa omne bonum etiam Eccleſiaſticum. Ad quid illi commiſſa eſſet utriuſque tabulæ decalogi cuſtodia Deut. 17. 18. ſeq. niſi & leges Eccleſiaſticas divinarum legum, ad priorem tabulam ſpectantium appendices & cuſtodes promulgare auſit? Quomodo poſſet vocari Nutritius Eccleſiæ apud Eſ. 49. 23. Si illi de nutrimento innocuo proſpiciendi poteſtas adempta? Quod ſi enim ſollicitudo in religione & judicium de doctrina omnibus Chriſtianis incumbit. 1. Theſſ. 5. 21. quis id de Imperatore negaret? cùm ipſe Deus dicat Pſ. 2. 10, 11. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram &c. Servite Domino in timore. &c. Quomodo autem Princeps Domino ſervit in timore, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſâ ſeveritate prohibendo atque plectendo? cum aliter ſerviat, quia homo eſt, nimirum fideliter vivendo, aliter quia Rex eſt, nimirum leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo* ut Auguſtinus Ep. 50. ad Bonifacium comitem eleganter ad h. l. habet. Ut jam nihil dicamus de laudatiſſimis, quæ Imperator præ oculis habuit, exemplis tàm piorum Regum V. Teſtamenti. e. g. Aſſæ, hanc legem ferentis: Niſi quis quæſiverit Dominum Deum Iſraël, morietur. 2. Chron. 14. 4, 13. Ezechiæ æneum ſerpentem conterentis 2. Reg. 18. 4. Paſcha indicentis alio, quam ſolitum erat tempore, ob immunditiem Sacerdotum. 2. Par. 30. 2. Joſiæ, idola ſubvertentis, & Principes conſiliarios ad inſtaurandam domum Jehovæ mittentis. 2. Reg. 23. 1. ſeqq. & 2. Par. 34. 7, 8. aliorumque; quàm etiam Imperatorum & Regum Chriſtianorum N. T. prædictorum pietatem imitantium. Conſtantini M. Conſtantini, Conſtantis, Theodoſij, qui in conciliis convocandis, moderandis & terminandis; falſa Religione coërcenda, & vera introducenda, fovenda, & propaganda, legibus ferendis de ſacris ſeu perſonis, ſeu rebus, ſe ſatis oſtenderunt eſſe religionis & fidei pro-

pugna-

propugnatores, ne dicam autores, ut vocatus eſt Conſtantinus M. in antiqua aliqua inſcriptione. Conf. Excell. D. Præſ. Antiq. Ecc. l. c. §. 119. ſeqq.

§. XVI.

Sed in hypotheſi & uſu poteſtatis ſuæ peccavit Imperator, quod heterodoxam ſententiam amplexus fuerit, nec exemplo piorum ſupra memoratorum Principum, ad nutum & ductum Prophetarum Aſariæ. 2. Par. 15. Jeſajæ, 2. Reg. 19. 2. Hilkiæ Sacerdotis. 2. Reg. 22. 23. Eccleſiæ proſpicientium: itemque Conſtantini M. Theodoſij, Caroli M. aliorumque, Synodos prius convocantium, quàm Eccleſiæ aliquid imponentium, ſcripturas conſuluerit, & cum orthodoxis Epiſcopis contulerit prius, quam hæreticis aſſentiretur, aut edictum publicaret. Sicut enim Doctor Eccleſiæ in cauſis præprimis gravioribus, & totam communitatem attinentibus, per ſe ſolus, ex zelo licet, & pietatis ardore judicare quicquam & ſtatuere non poteſt; ita hoc etiam nequit facere Princeps ſecularis: cui non ſufficit zelus & pietatis ardor, aut ratio aliqua politica ad officium ſuum exequendum, niſi accedat ſcientia, quæ zelum & ardorem dirigat. conf. Rom. 10. 2. cum noxius ſæpiſſimè ſit zelus abſque ſcientia & cauſæ indagatione, præprimis in rebus fidei, ubi maximè neceſſaria eſt, ut vera religio à falſa, idololatrici cultus à legitimis diſcernantur; & religionis veritas & pietatis integritas ex verbo Dei hauriatur, vid. D. Gerhard. Tom. VI, LL. Theol. l. 2 c. 6. ſect. 5. m. 1. Eo enim digitum quaſi intendit divinus Pſaltes Pſal. 11. 10. *Et nunc Reges*, inqniens, *intelligite, erudimini, qui judicatis terram*, q. d. Scrutamini ſcripturas, & vobis ſcientiam ex illis comparate, facite vos erudiri, eorum nimirum, quibus cura verbi commiſſa, conſilia expetendo, & ea, quæ ad conſtituendam Eccleſiæ pacem & tutelam pertinent, diligenter inquirendo, ſecundum illam ſcientiam judicando, atque ſinceram Doctrinam propagando, & legibus juſtis communiendo. Quod cùm Imperator Heraclius non obſervaſſet, & in uſu poteſtatis ſuæ, & in ipſo actu judicandi hoc ſuo edicto turpiſſimè peccavit. Omiſſam enim in cognoſcendo curam non poterat non ſequi iniquitas, & in decidendo injuſtitia, ut ἀτάκτως agens, neque fraudem Eutychianam perſentiſcens, in falſitatis patrocinium, & veritatis damnum & ignominiam, medium hoc unitivum iniquiſſimum ederet, ut ex ſequentibus patebit.

In hypotheſi & uſu ſuæ poteſtatis peccabat.

§. XVII.

Quæſt. II. An ἔκθεσις legitima media contineat? Aſt ab adverſa parte. Ratio. 1.

Quæritur namque merito II. An ἔκθεσις hæc contineat legitima media componendi partes inter ſe controverſas? Affirmabat quidem Imperator Heraclius & ſequaces, his rationibus ſuffulti, quod dicerent, formulam hanc ſuam ſyncreticam congruere (1.) cum V. univerſalibus Synodis. Ita enim ἐκθέσεως titulus habet: *Conſonans in omnibus ſanctis & univerſalibus V. Conciliis.* Et ſub finem ferè: *Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio præſentialiter viderunt, & miniſtr i verbi facti ſunt, eorumque diſcipuli & ſucceſſores, quique ſequenter à Deo inſpirati Eccleſiæ Doctores, i. e. ſancta & univerſales quinque Synodi beatorum & à Deo ſuſceptorum Patrum, i. e. qui in Nicæam, & in hanc regiam civitatem, nec non in Epheſum primum, & in Chalcedonem, & iterum in Conſtantinopolim in quarto congregati ſunt Concilio.* (2.) Cum ſententia præſenti ſeculo viventium Patriarcharum, melius dixeris Hæreſiarcharum. Ita iterum ἔκθεσις: *Quam cum multa ſatisfactione & gratiâ exceperunt Patriarchalium ſedium Præſules, & gratanter ei conſenſerunt.* Erant autem Præſules Patriarchalium ſedium ipſi Heraclij ſeductores, nimirum *Sergius* hujus Expoſitionis ſuaſor, ut ſupra oſtendimus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, occultus hæreticus, ut eum deſcribit Baron. Ann. 633. §. 24. *Pyrrhus* Monachus Chryſopolitanus ordine Presbyter, Sergij in cathedra peſtilentiæ ſucceſſor. *Cyrus* primum Lazorum, poſtea Alexandrinus Epiſcopus, cum quo magnam amicitiæ conjunctionem iniiſſe Heraclium, Baronius ex Sergio refert. §. 6. ad Ann. 623. Hi erant non ſolùm conſentientes huic formulæ, ſed etiam inſignes ejuſdem propugnatores. vid. Baron. ad Ann. 639. §. 13, 14. 16. Quique in ſuas partes rapuerunt ipſum R. Pontificem Honorium, quem quidem Baronius, ſicut mirandum ejus, aſt nobis ſuperſtitioſum, cultum divinum deprædicat, ad Ann. 638. §. 1. ſeqq. ita etiam ab hoc errore eximere & abſolvere allaborat: ut nihil mendacius aſſeri poſſe, pro Papæ ſanctitate ſtabilienda, aſſerat. §. 4. Ann. 640. Sed falſiſſimè & audaciſſimè. Quâ enim fronte cum hæreticis Sergio. & Cyro conſentientem, & orthodoxis, e.g. Sophronio ſeſe opponentem, abſolvet? Honorius ſiquidem Cyrum monotheletam fratrem, Sophronium verò novæ vocis, & quæſtionis adinvento-

Ratio 2.

rem & introductorem vocat, in ſua priore & poſteriore Epiſtola à Baron. ad Ann. 633. adductis. Quomodo hæreticum negabit, qui expreſsè unam voluntatem Chriſti fatetur, ejuſque fundamentum ponit unionem naturalem? Qui duas voluntates naturales & operationes ſtatuere prohibuit, ineptamque eſſe ſententiam, quæ ſecundum unam vel geminam naturam Chriſti, operationem ejuſdem unam vel geminam ſuſpicatur, aſſeruit, in fragmentis poſt. Epiſt. ab ipſo Baron. citatis §. 41. ann. dict. Certè ἔκθεσιν damnare, & neſcio quibus verbis exagitare, & tamen Honorium defendere, cujus epiſtolæ, quoad rem, ferè idem ſunt cum ἐκθέσει, Baronius non potuit. Adducuntur quidem rationes quædam pro defenſione Papæ; quæ tamen ſua ipſius falſitate concidunt. Nam 1. quod dicitur, Honorium ex epiſtola Sergij, occulti adhuc hæretici, falſa dogmata ſentire non potuiſſe, quum epiſtola illa nihil contrarium orthodoxæ fidei & Chalcedonenſi Concilio continuerit, impudenter dicitur. Quaſi verò Sophronius hæreticam ſententiam Honorio non ſatis detexiſſet, & contraria juxta ſe poſita non ſatis eluxiſſent: Sed ita pro idolo ſuo pugnantes Pontificij nigrum potius album dicere ſolent, quàm regnum AntiChriſti dilabi patiantur. Nam Pontificem intellexiſſe Sophronij & Sergij mentem ex epiſtolis ejus ſatis patet. Cui 2. non obſtat teſtimonium Secretarij, qui Honorio ab epiſtolis fuit, allegatum à Maximo in Diſput. contra Pyrrhum, ita ſonans: *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſcripſimus, Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum; ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat &c.* Falſum namque eſt, quoniam epiſtola in proximè præcedentibus de unitate divinæ & humanæ naturæ loquebatur, cui ſubjiciebat: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti* &c. h. e. divinæ & humanæ naturæ unitæ: Alias, ne quidem conveniens fuiſſet reſponſio ad epiſtolam Sergij, qui non ſcripſerat, aliquos eſſe, duas contrarias voluntates ſolius humanitatis aſſerentes; ſed quod ipſe prohibuiſſet dici duas operationes divinam & humanam, quia ſequeretur duas in Chriſto eſſe contrarias voluntates, divinam ſcil. & humanam,

 Deita-

Deitatis & carnis, quod Honorius comprobat & confirmat. Quales igitur operationes intellexit, tales etiam voluntates, ex quibus illæ operationes procedunt; jam verò operationem divinam, & humanam unam eſſe, & ex unius operantis voluntate provenire oſtendit §. 29. anni cit. non verò contrarias ex humanitate. E. etiam divinæ & humanæ naturæ unam eſſe voluntatem aſſeruit. Nec juvat cauſam Honorij, quod 3. Sophronium duas contrarias intellexiſſe voluntates putaverit, malè ſiquidem hoc cum reliquis Monotheletis putavit, ut infra oſtendetur; imò ſuo officio defuit, quod id monſtri introducentem non reprehendit; ſed ſilentio occultandum curavit. Ejuſdem 4. ponderis eſt, quod dicit Baronius, Honorium, neque Romæ in Synodo Lateranenſi, 18. annis poſt hæc actà §. 48. neque in Synodo Romana ab Agathone celebrata, fuiſſe damnatum; ſed potius defenſum, nempe à Maximo in diſp. ſæpius citata: imò, quo nihil inſulſius atque magis impium, Papam non poſſe damnari, cùm injuſtum ſit, ſedem Apoſtolicam condemnari, quæ judicet omnes, & à nemine judicetur. Martinus namque Papa intentus in Hæreticos orientales non fuit ſollicitus de examinanda epiſtola prædeceſſoris; ſed allegatum in Epiſtola Pauli Epiſc. Conſt. ut conſentientem cum Sergio in Secret. IV. Conc. Rom. ſilentio præteriit: vel ut parceret memoriæ anteceſſoris, vel quod cum Agathone jam tum falsa illa perſuaſione, de infallibilitate Papæ irretitus & faſcinatus eſſet. Illud enim nititur ſuaſione Maximi, perſonas tacendas & dogmata damnanda ſuadentis; hoc verba probant Agathonis ad Imperatorem: *Conſideret veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturum promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum.* Unde ex ratione facti jus negare Baronius non poteſt: ſicut enim Maximus, cùm Pyrrhus victas manus daret, epiſtolam Honorij ſcrupuloſius examinare noluit; ita etiam Martinus & Agatho, cùm Honorij conſenſus non ita vehementer urgeretur, de illo tacuerunt. Quod ſi Pyrrhus, ſicut poſtmodum reſumptâ hæreſi fecit, non acquieviſſet, procul dubio Maximus epiſtolam Honorij damnaſſet, quemadmodum VI. Synodus fecit, nominatim Honorium damnans, ejuſdemque epiſtolas unà cum Theodori

Phara-

Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergij, Pyrrhi, Pauli & Petri, rogo adjudicans, atteſtantibus Patribus, qui ſextæ Synodo interfuerunt, in altero conventu ſub Juſtiniano II. habito. i. e. in quini ſexta Synodo Can. 1. item Synodus Nicæna II. Pontificiis orthodoxa, quæ Honorij condemnationem commemorat & confirmat, vid. verſ. Anaſtaſ. Biblioth. actorum Syn. Nicænæ. Item Leo II. ſucceſſor Agathonis in epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum, quæ legitur in actione XVIII. ſextæ Synodi, Honorium anathematizans, tanquam Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis Doctrinâ luſtrantem; ſed profana proditione fidem ſubvertere conatum. Quibus teſtimoniis vana Baronij ratio non derogat, quod Pontifex non poſſit juſtè condemnari, & à quoquam judicari. Quaſiverò ex multis actis omnium ſeculorum non pateat, Papam Romanum poſſe eſſe & actu fuiſſe hæreticum, exemplo Liberij, Felicis &c. Pontificum. Et quis Apoſtolorum unquã ipſum omnium judicem, & à nemine judicandum pronunciavit? Paulus certè longè aliter loquitur. Gal. I. 8. & 9. Meritò igitur Heraclius Imperator gloriari potuit, ſe ſuæ ſententiæ fautores habere Patriarchalium ſedium Præſules; quùm, præter ſupramemoratos, Sergium, Pyrrhum, Cyrum, itemque Paulum in locum Pyrrhi ab Hæretico Imperatore Conſtante ſubrogatum, itidem Monotheletam, vid. Baron. Ann. 612. §. 1. ut & Fortunatum Carthaginenſem, & ipſum Principem Hæreſiarcharum, Antichriſtum Magnum haberet conſentientem. (3) Tandem Heraclius ſuam ἔκθεσιν receptu dignam judicabat, quod neutram partem diſſidentium damnaret planè; ita enim ἔκθεσις: *Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere ſeu docere operationes in divina Domini incarnatione; ſed magis (ſicut ſanctæ & univerſales tradiderunt Synodi) unum eundemque filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum confiteri, operari divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo verbo indiviſè & inconfuſè procedere &c.* §. Unde unum &c. Ratio 3.

§. XVIII.

Sed hæ rationes, infra confutandæ, non tanti ſunt ponderis, quin negativam: nempe ἔκθεσιν hanc legitima media nequaquam continere, defendamus & (α.) quidem, quia inſidioſa eſt, ea in Negatur à nobis. Ratio 1.

medium

medium producens, quæ non veniebant in quæſtionem, ut eſt articulus de Deo Uno in eſſentia & Trino in perſonis: de Chriſto, Deo vero à Patre ab æterno, & vero homine in tempore nato. Volebant enim hac ſua confeſſione videri orthodoxi, unde, „ transformationem vultus ad ſpeciem angeli conformabant, eamq; „ verborum indolem præ ſe ferebant, ut rectum ſenſum habere vi- „ derentur, eumque, ubi perſuaſerint, eo miſeros deducant, ut di- „ verſa alienaque à ſcripturis ſentiant, quemadmodum Athanaſius de Ario judicat. alleg. à D. And. Oſiand. in notis Bibl. ad loc. Proverb. 14. n. 1. Quæ verò veniebant in quæſtionem ſilentio comprimere ſtudebant, ut ita Eutychem, magiſtrum ſuum, imitarentur, qui cum à Syn. Conſt. interrogaretur: An duas in Chriſto naturas confiteretur? Reſpondebat: *Sic credo, adorans Patrem cum filio, & filium cum Patre, & Sp. S. unà cum Patre & filio, confiteor autem factam ex carne præſentiam, ex carne ſanctæ Virginis; & incorporatum eum perfectè, propter noſtram ſalutem. Sic confiteor coram Patre & filio & Sp. S. & veſtra ſanctitate.* Synodo autem ulterius urgenti: Utrum ex duabus naturis confiteretur? reſpondit: *Se à Diſputatione de natura Dei hactenus ſibi di-*
Ratio 2. *ligenter caviſſe.* vid. Cent. V. Magd. cap. IX. p. 517. Deinde (β) ἔκθεσις non continet legitima media, utpote inepta atque abſurda. Quod ſi enim conditores ejus concordiam Eccleſiæ voluiſſent meditari, mentes potius diſſidentium ad veritatem amplectendam compellere rationibus debuiſſent, quàm diverſiſſima contradictoria conciliare. Duas ſiquidem dari naturas Chriſti in proprietate naturali permanentes, eandemque ſervantes, & per compoſitionem unitas, ut videre eſt ex §. 10. & 11. Baronij; & tamen unam tantùm voluntatem, quæ proprietas naturæ eſt, non ſine abſurditate profitebantur §. 12. imò ſatis ineptè unam naturam Dei verbi incarnatam ſtatuebant §. 11. & ſimul etiam duas naturas concedebant, ut ita cum Eutychianis, Apollinariſtis, Neſtorianis, aliiſque colluderent, teſte Baronio, dicente: *Hæc de unica in Chriſto voluntate blaſphemia unicè tendit ad tollendam naturarum in Chriſto unitarum differentiam, & quod ad Eutychianam hæreſin hâc viâ inſtaurandam illorum fuit conatus, atque ad ſociandos ſibi alios orientales hæreticos, nempe Apollinariſtas & Neſtorianos,* quod ulterius probat ex Thom. part. 3. q. 18. art. 1. hoc modo. *Ad hoc ponen-*

ponendum (unicam ſcil. in Chriſto voluntatem) *diverſimodè moti eſſe videntur: Apollinaris enim non poſuit animam intellectualem in Chriſto, ſed quod verbum eſſet loco animæ, vel etiam loco intellectus. Unde, cùm voluntas ſit in ratione (ut Philoſophus dicit in tertio de anima) ſequebatur, quod in Chriſto non eſſet voluntas humana, & ita in eo non eſſet niſi una voluntas. Et ſimiliter Eutychiani, qui poſuerunt unam naturam compoſitam in Chriſto, cogebantur unam voluntatem ponere in eo. Neſtorius etiam, quia poſuit unionem Dei & hominis factum ſolùm ſecundum affectum & voluntatem poſuit unicam voluntatem in Chriſto.* Ad Ann. 633. §. 55. Quos tamen omnes in fine ἐκθέσεως anathematizabant. Unde etiam (γ.) tantum abeſt, ut legitima media ἔκθεσις contineat, ut potiùs impia & falſiſſima proponat: Dari nempe unicam in Chriſto voluntatem. Duæ ſiquidem ſunt voluntates in Chriſto. *Nam licet*, uti B. D. Menzerus loquitur, *unio facta ſit in perſonam, manent tamen naturæ, & earum proprietates ſemper diſtinctæ.* Tom.I. Op. p. 585. §. 69. Ratio 3.

§. XIX.

Quæſt. III. An duæ dentnr in Chriſto voluntates. Status Controverſiæ.

Quod ut ordine probetur & proponatur, neceſſum erit, ſtatum prius controverſiæ formari: Ideoque (1.) Non quæritur de volentibus; ſed voluntatibus: (2.) Non de voluntatis modo, ſed voluntate ipſa: Neque (3.) de voluntatis effectu ſeu quod vult, quem effectum Patres abuſivè, teſte Maximo contra Pyrrhum, voluntatem dixerunt; ſed voluntate ipſa ſeu quæ vult: Nec quæſtio eſt (4.) de voluntatibus unius naturæ, e. g. humanæ; hujus enim naturaliter conſideratæ eſſe unam voluntatem, utrinque conſtabat; ſed de voluntatibus utriuſque naturæ, tam divinæ quàm humanæ: ſicut nec (5.) de voluntate officiali, quæ communis eſt, & Dei-virilis dicitur; ſed de eſſentialibus ſeu naturalibus; Illiſque (6.) nequaquam contrariis, & ſe invicem oppugnantibus. Ab utraque enim parte hoc negabatur, licet Heraclius & ſocij orthodoxis id imputarent apud Baron. §. 12. & ex Pauli Epiſtola ad Theod. Pap. §. 27. Ann. 646. conſtat. Sed de conſentientibus, & tamen diſtinctis. Quandoquidem (7.) quæſtio eſſe non poterat de humana Chriſti voluntate, tanquam carnali ſeu a Diabolo & peccato orta, divinæque contradicente; quippe quæ in Chriſto homine non erat: ſed ſermo erat de voluntate naturali

ſeu

ſeu naturæ, ut bonæ à Deo creatæ, nullo modo rebelli divinæ voluntati. Ut Quæſtio ſit: Utrum in Chriſto θεανθρώπῳ duæ diſtinctæ dentur voluntates, naturales conſentientes invicem, humana nimirum & divina? Orthodoxi affirmabant, ut patet tàm ex Epiſtola Synodali Concil. Carthag. adducta à Baron. ad ann. cit. §.11. *Hoc autem, quod ſancta ſuſcepit recta fides & vera; ſicut prædicavit & fatetur univerſalis & immaculata Eccleſia, colimus & tenemus, Patrem & filium & Spiritum S. &c. Sed eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Deum & hominem confitemur, dicentes, & divinam naturam, voluntatem & operationem, ut Deum habere perfectum; & quod eſt hominis, eundem ipſum ſine quolibet duntaxat peccati & concupiſcentiæ modo ſimiliter naturam, voluntatem & operationem habere pleniſſimam, i. e. in Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto duas eſſe naturas, duas quoque voluntates naturales; ſicut Catholica docuit & docet ſemper Eccleſia.* Quam ex Epiſtola Victoris Epiſcopi Carthag. ad Theod. Papam. *Quis enim vecors, ſacrilegâ voce, audeat prædicare, in Domino noſtro Jeſu Chriſto aut unam tantummodò voluntatem, aut unam operationem exiſtere, dum manifeſtiſſimis Patrum definitionibus liquidius clareat, in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas, & earum duas voluntates, duasque operationes, vel proprietates naturales modis omnibus inveniri* §.17. Ann. cit. Baron. conf. Canones Syn. Lateranenſis ſub Martino Papa Romæ habitæ, præprimis can. X. apud Baron. ad Ann. 649. itemque ſuggeſtio Agathonis ad Conſtantinum, ejuſdemque Concilij Confeſſio §. 4. & 5.

Affirmatio orthodoxorum.

§. XX.

Sententia negativa heterodoxorum.

Contra verò heterodoxi negabant duas dari in Chriſto voluntates & operationes, divinam & humanam; ſed unam tantùm, propter duarum naturarum, ſecundùm ſubſtantiam unitatem, ſtatuebant: Ita enim & ἔκθεσις habet: *Unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti veriſſimi Dei confitemur.* § Unde ſanctos Patres &c. Et Paulus Conſt. Epiſt. ad Theod. Pap. *Ideoque & Deus dicitur pati, & filius hominis à cœlo deſcendiſſe, propter ſummam & indiſſipabilem, ſecundum ſubſtantiam duarum naturarum unitatem. Unde & unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti intelligimus &c.* apud Baron. §. 27. ad Ann. 646. Quam deinde divinam dicebant, ut ex his verbis conſtat. cit. epiſt. *Non ad conglo-*

mera-

merationem aut confuſionem duarum naturarum, quæ in eodem videntur unius voluntatis, hanc producentes vocem &c. Sed hæc per hujuſmodi ſignificantes vocem, quoniam caro ejus rationabiliter & intellectualiter animata, ex ipſa ſumma unitate inenarrabiliter omnibus divinis ditata, unientis eam ſibi ſecundùm ſubſtantiam divini verbi, divinam habebat indiſcretam voluntatem, quæ ab ipſo ſemper ducebatur & movebatur. Non permittebant autem illam unam voluntatem *naturalem* appellari, ne duas naturas in Chriſto confundere viderentur; hinc modo hypoſtaticam pro unitate perſonæ volentis, modò Jeſu Chriſti veri Dei voluntatem aſſerebant. Imò ut ſuam inconſtantiam proderent, in typo Conſtantis, nec unam nec duas voluntates aut operationes, h. e. neque divinam, neque humanam voluntatem & operationem in ipſo Salvatore noſtro ſe omninò confiteri, definiverunt. vid. Baron. Ann. 649. §. 28. Cum igitur modò unam voluntatem Deificatam dicentes, modò divinam tantùm, modò neutram, neque divinam neque humanam fingentes, per inanem (ut verbis utar Baron. ann. cit. §. 56.) ſpeciem, vel per nudam nominum ſimilitudinem, ſeu per meram ambiguitatem, contra S. Scripturam, veram Antiquitatem, & ſanam rationem, magnum Incarnationis Chriſti myſterium temerariè reprobarent; non potuit non illis ab orthodoxis contradici.

§. XXI.

Namque duas eſſe in Chriſto voluntates (1.) *Sacrarum literarum monumenta*, quæ ſunt fundamentum unicum & probandi principium dogmatum theologicorum, abundè teſtantur. Quando Chriſtus ipſe in ſua ad Patrem precatione Matt. 26.39. voluntatem ſuam humanã à Patris cœleſtis voluntate, quæ itidem ejus erat divina, diſtinguit, dicens: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Et Joh. 6.38. *Non quæro*, inquit, *voluntatem meam*, ſcilicet, juxta quoſdam mihi ratione aſſumptæ humanitatis propriam, *ſed voluntatem ejus, qui miſit me, Patris.* Nam illa voluntas, quam communem habebat cum Patre & Sp. S. ſecundum quam, ſicut Pater quos vult, juſtificat Joh. V. 21. ſecundum quam miracula patrabat e g. voluit mundare leproſum Matth. 8. 3. erat divina, quâ, quæcunque voluit cum Patre & Sp. S. fecit in cœlo & in terra. Pſ. 115. 3. 135. 6. Quæ ſemper fit, Eſ. 46.10. & cui reſiſtere nemo poteſt, Rom. 9. 19.

Rationes orthodorum (1.) ex Scriptura.

Ea verò ſecundum quam nolebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere Joh. 7. 1. Neminem ſe ſcire, ſc. adeſſe, volebat, cùm cuperet reſpirare. Marc. 7. 24. c. 9. 30. imò ſecundum quam mortem exhorrebat,& calicem tranſire volebat. Marc. 14. 36. Luc. 22. 42. erat humana, in natura innocenti ſine vitio, quæ naturali inſtinctu mortem & deſtructionem ſui quidem fugiebat; nihilominus tamen voluntati Patris ſeu divinæ ſe ſubmittebat. Siquidem venit, ut voluntatem Patris faceret Pſ. 39. 10. Heb. 10. 7, & 9. Neque quæſivit voluntatem ſuam, ſed Patris mittentis,

(2.) Ex Antiquitate.

Joh. 5. 30. Hiſce ſcripturæ fundamentis ſubjungi poſſunt (2.) *teſtimonia Antiquitatis*, non ideò, ac ſi hæc ipſa ex ſcripturis petita non ſint ſatis firma, niſi ſtatutis & dogmatibus Eccleſiæ antiquæ firmata; ſed vel *propter ſcopum antiquorum*, qui à Deo excitati eum in finem conſentientes confeſſiones, de ſano veræ doctrinæ intellectu ediderunt, ut poſteritas erudiretur & confirmaretur; vel *propter bonorum confirmationem*, qui valdè moventur & ſtabiliuntur, quando vident, eandem vocem Doctrinæ omnibus temporibus in Eccleſia ſonuiſſe. Maximè verò *propter convictionem adverſariorum*, qui ſemper clamitant, doctrinam non habere teſtimonium veteris Eccleſiæ, ſed eſſe commentum recens natum; ſicut fecit Honorius contra Sophronium, & ipſa ἔκθεσις hinc inde innuit. Adduci autem poſſunt ex Antiquitate (α.) *Athanaſius* ad locum Matth. XXVI. 39. dicens: *Quando dicit*, (ſcil Chriſtus) *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis &c. Duas voluntates oſtendit, & unam quidem humanam, quæ eſt carnis, aliam autem divinam, quoniam humana propter infirmitatem carnis refugiebat paſſionem, divina autem ejus prompta &c.* quæ verba citantur à Forbeſ. lib. V. c. 29. §. 17. Inſt. Theol. (β.) *Ambroſius* Epiſc. Mediol. in ſuo libro de Chriſto loquens, poſtquam Chriſti divinam voluntatem eandem eſſe cum Patris oſtendiſſet & probaſſet ex Matth. 8. 2, 3. & Joh. 16, 15. ſubjungit: *Sed alia voluntas hominis, alia Dei. Denique ut ſcias, unam voluntatem hominis eſſe, quia mortem timet: paſſionem autem Chriſti in voluntate divina, ut pateretur pro nobis. Cum Petrus vellet Dominum à paſſione revocare, Dominus ait: Non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Suſcepit ergo voluntatem meam; ſuſcepit triſtitiam meam; Confidenter triſtitiam nomino;*

quia

quia crucem prædico. Mea eſt voluntas, quam ſuam dixit; quia ut homo ſuſcepit triſtitiam meam, ut homo locutus eſt, & ideo ait; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, Math. 26. 39. alleg. in Reſcripto Synodi in Africa proconſularis à Cent. Magd. VII. cap. IX. p.168. Cum quo (γ) conſentit *Auguſtinus* lib.III.contra Maximum c.20. ajens: *Ubi autem dixit filius Patri: Verum non quod ego volo &c. quid te juvat, quòd tua verba ſubjungis, & dicis, oſtendit verè ſuam voluntatem ſubjectam ſuo genitori: quaſi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei eſſe debere ſubjectam? quanquam & in hoc, quod ait: Non quod ego volo, aliud ſe oſtendit voluiſſe, quàm Pater, quod niſi humano corde non poſſet. Nunquid enim poſſet immutabilis ea natura quicquam aliud velle quàm Pater?* Et in libro de Gratia N. Teſtamenti ad Honoratum inquit: *Neque enim homo Chriſtus* (ut Apollinariſtæ hæretici putaverunt) *aut non habuit animam, aut non habuit rationem aut voluntatem.* alleg. à Centuriatoribus l. c. p. 169. Quibus (δ) addi poſſunt Joh. *Maxentius* in Cathol Prof. de Chriſto: *Confitemur &c. in nullo naturarum diverſitatem propter unitatem perimendam; ſalvâ potiùs proprietate utriuſque naturæ in una perſona, unaq; ſubſiſtentia concurrente.* & quæ à Martino Papa in Synodo Rom. Ann. 653. ſecundum Centuriat. habita pro duabus Chriſti naturalibus voluntatibus & duabus operationibus, adducuntur. Imò verò (3.) ipſa *humana ratio* dictitat, perfectum Deum habere etiam voluntatem divinam, & perfectum hominem conſtare ex corpore animato & anima rationali, intellectûs & voluntatis compote. Velle namque ſimpliciter eſt naturæ rationalis, cùm nihil aliud ſit, quàm appetitio & averſatio rationalis. Neque addiſcitur aut docetur; ſed ſicut V. ſenſus per naturam inſunt corporibus; ita & voluntas per naturam omnibus hominibus animâ rationali conſtantibus ineſt; ut, qui voluntatem hominis, ipſum hominem negaret. Per voluntatem enim anima rationalis diſcernitur ab anima vegetativa & ſenſitiva. Vitæ ſiquidem plantæ proprius eſt motus alendi, augendi & gignendi; Vitæ ſentientis motus appetitionis: Intelligentis verò motus liberæ voluntatis. Et ſicut hi motus alendi plantæ & appetitionis ſentienti ſecundùm naturam inſunt, ita etiam motus volendi intelligenti ſeu rationali. Unde Excell Sperling. dicit: Hominem breviſſimè & accuratiſſimè definiri, quòd ſit *animal rationale.*

(3.) Ex ſana ratione.

 nale.

nale. Animal ob ſenſationem, appetitionem & locomotionem: Rationale ob intellectionem & volitionem. Inſt. Phyſ. lib. IX. p. 1129. Abſurdi igitur ſunt, qui Chriſto homini vero voluntatem humanam, animæ rationalis facultatem, ſecundum quam à beſtiis & planta diſtinguitur, detrahunt; abſurdiores ſi Deo vero increatam, liberrimam, abſolutam, independentem, & nonnunquam reſiſtibilem voluntatem, quæ à divina natura atque eſſentia ſine ſimplicitatis deſtructione ſeparari non poteſt, adimunt. Quod ſi enim Chriſtus non potuit velle ut homo, non potuit agere ut homo; ſi non potuit velle ut Deus, non potuit etiam facere ut Deus; & ita, nec homo nec Deus verus dici poſſet. Uti non iniquè judicat Martinus Papa & Synod. Rom. in Epiſtola Encyclica. apud Baron. §. 26. ann. 649. *Proprietate amputatâ utique & ipſa natura cum illa perimitur. Quia jam cognoſci natura nullo modo poteſt per eſſentialem deſignantem eam naturalem proprietatem.* Sed veritas non ita inops eſt, ut propriis armis & argumentis adverſus adverſarios indigeat, ipſi etenim (4.) *coguntur contra ſe ſuffragari*, dicentes: Chriſtum eſſe perfectum humanitate per omnia nobis ſimilem abſque peccato; & perfectum etiam Deitate unam perſonam ſeu unam ſubſtantiam compoſitam &c. Nam perfectio non eſt, ubi naturalis & eſſentialis proprietas excluditur atque adimitur. Unde etiam ἔκθεσις confitetur: *Utriuſque naturæ indiminutè ſalvari naturalem proprietatem*, & Paulus Conſt. ad Theod. Pap. epiſt apud Baron. ad ann. 646. *Chriſtum*, dicit, *perfectum hominem & Deum, manente differentiâ utrarumque naturarum, ſecundum earum proprietatem* Jam verò ad proprietatem humanæ naturæ pertinet, conſtare corpore animato rationaliter & intellectualiter, quam proprietatem concedunt ἔκθεσις & Sergius epiſt. ad Cyrum, dicens: *Chriſtum carnem aſſumſiſſe ex B. virgine nobis conſubſtantialem, animatam animâ rationali & intellectuali.* Deinde Deum verbum itidem concedunt voluntatem habuiſſe. vid. ἔκθεσις §. *Similiter &c.* & §. *Unde ſanctos &c.* Hinc argum. Q. concedit in perſona Chriſti eſſe perfectam humanitatem, corpore nimirum & animâ rationali & intellectuali conſtantem, itemque perfectam divinitatem voluntatis divinæ compotem, indiminutè & inconfuſè unitas, ille duas cogitur concedere voluntates. Atqui Monotheletæ, ut oſtenſum, hoc faciunt. E. Item: Q. duas operatio-

(4.) Ex adverſariorum ſuffragio.

rationes ſtatuit, ille duas voluntates ſtatuere cogitur. Atqui Monothel. E. Major eſt certa, ut ipſi adverſarij non audeant negare. Dum ipſi fatentur, ideo operationes duas eſſe negandas, quia, ut duas voluntates confiteantur, inde ſequatur. Ἔκθεσις § *ſimiliter &c.* Minor verò inde probatur, quia divinam & humanam operationem Chriſto tribuunt, ſeu, ut ἐκθέσεως verbis utar, *ex incarnato Deo verbo omnem Deo congruam & homini operationem procedere,* concedunt. §. *Unde ſcimus &c.* Nec juvat eos, quod ratione ac modo communicationis mutuæ communem & unam voluntatem dicant, e. g. Pyrrhus apud Baron. p. 761. hoc enim potius contra illos eſt; ſiquidem communicatio non eſt unius ſed duorum, per ineffabilem unionem conjunctorum. Illa autem communicatio non eſt φυσικὴ μετέκβασις, proprietatum unius ſubjecti in alterum effuſio; ſed illi, quæ κατὰ ζυνδύασιν vocatur, & in corpore animato & ferro ignito apparet, proximè accedit. vid. Gerh. Iſagog. Loc. Theol. Diſp. IX. de paſſ. & off. Chriſti §. *50. Neque enim Deitas tranſmigravit in carnem, neque caro in Deitatem tranſmutata eſt; ſed in proprietate naturali utrumque permanſit,* ſunt verba ἐκθέσεως, in fine §. *Unde ex duabus &c.* Conf. Paulus Conſt. ad Theod. Pap. Epiſt. apud Baron. §. *26.* ann. *646.*

§. XXII.

Probatâ jam ſatis, ut puto, orthodoxâ ſententiâ de duabus in Chriſto voluntatibus; breviter etiam ſolvendæ ſunt objectiones Monothelitarum partim pro veritate ſuæ, partim pro falſitate noſtræ ſententiæ, partim denique pro tolerantia utriuſque propoſitæ. Pro *veritate ſuæ ſententiæ* dicunt: (1.) Ubi una eſt perſona volens & operans, ibi una eſt voluntas, non duæ; Atqui in Chriſto eſt una perſona volens & operans. E. Minorem probant, quod Chriſtus *nullo tempore animati corporis ſeparatam produxerit motionem naturalem; ſed quando, qualem, & quantam ipſe Deus voluerit &c.* ἔκθεσις, §. *Unde ſanctos &c. Neque alter fuerit, qui miracula operatus ſit, alter qui paſſiones ſuſtinuerit &c.* §. *Quapropter &c. Sed Dei verbi incarnati eſſe miracula & paſſiones, quoniam Deus dicatur pati, & filius hominis à cœlo deſcendiſſe, propter ſummam & indiſſipabilem ſecundùm ſubſtantiam duarum naturarum unitatem &c.* Ita Paulus in Epiſt. ad Theod. Pap. apud Baron. l. c. §. 27. (2.) Quòd antiqua ſit ſententia, quam

Objectiones Adverſar.

1.

2.

quam Patres tradiderint & docuerint, e. g. V. Synodi univerſales. vid. ἐκθ. §. *unde ſanctos Patres &c. Dionyſius & Damaſcenus*, quem producit Paulus Conſt. dict. epiſt. ad Theod. l.c. *Leo*, quem Sergius, quod dixerit: *Operatur utraque natura cum alterius communione. Dionyſius*, quem adducit Cyrus in VII. capitulo. *Cyrillus*, quem allegat ἔκθεσις. §. *Unde ex duabus &c.* Verba verò expreſsè recenſet Macarius, ex ſermone proſphonetico ad Theodoſ. Imp. *Firmamentum autem immobile hujuſmodi veſtri Deo-amabilis & religioſi imperij ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt. Per ipſum enim Reges regnant, & potentes decernunt juſtitiam; ſecundùm quod ſcriptum eſt Prov. 8. 14. Eſt enim ejus omnipotens voluntas &c.* in Synod. VI. Generali Conſtant. apud Cent. Magd. cent. 7. c. 9. cól. 225. & *Gregorius Theologus*, à Stephano Monacho Macarij diſcipulo in Synod. VI. Conſt. allegatus, quod lib. 2. de Filio manifeſtè oſtendat unam voluntatem in D. noſtro Jeſu Chriſto, dicens: *Illius enim velle nec contrarium eſt Deo, deificatum totum.* Centuriat. l.c. col. 234.
(3.) (3.) Pro *oppugnanda orthodoxa ſententia* ita argumentabantur: Si duæ ſtatuerentur voluntates, ſequi contrarietatem voluntatum, ἔκθεσις §. *Similiter &c.* & Paulus Conſt. l. c. dicit: *Se ideo voluntatem unam ſtatuiſſe, ne contrarias voluntates in una perſona Chriſti ſtatuerent, aut ſeipſam expugnantem dogmatizarent, aut duos volentes introducerent.* Atqui non dari contrarietatem &c. E. duæ non ſtatuendæ. Ratio eſſe videtur Majoris, quòd, ſi non ſint contrariæ, ſint una eademque.
(4.) (4.) Quot ſunt voluntates, tot ſunt volentes; Atqui non ſunt duo volentes. E. Aſſumtio probatur arg. in prima obj. propoſitis. Major propoſitio habetur. §. *Simili &c.* & Paul. Conſt. l. cit. Viderurque niti eâ ratione, quòd voluntas aut inferat perſonam, aut naturam; Non naturam, ratio eſt, quia hæc abſurda inde ſequantur, nempe *primò*, quòd Dei & Sanctorum una ſit voluntas; *deinde*, quòd nos, quoties mutamus voluntatem, mutemus naturam, ſæpiſſimè enim modò hoc, modo illud, volumus: & *tertio*, quòd ita voluntas timendi mortem nobis etiam per naturam inſit, quæ tamen reprehenſionem mereatur & peccatum ſit &c. & id genus alia, quæ Pyrrhus Maximo ex ſententia Monotheletarum objiciebat. Paulus Conſt. l. c. hoc videtur *quarto* addere: Quod, ſi voluntas in Chriſto ſit naturæ, ſequatur: illam nullo modo potuiſſe

tuiſſe moveri ad paſſiones ſuſcipiendas niſi violenter, quoniam,
quæ naturaliter inſint, neceſſariò fiant, nec ſalvâ hominis naturâ
immutari poſſint, ita enim loquitur apud Baronium §. 27. Ann.
646. *Ne per neceſſitatem naturæ humanitatem violentiam ſuſtinen-
tem introducamus &c.* Relinqui ergo, quòd voluntas inferat per-
ſonam, ut quot voluntates, tot perſonæ volentes ſint. (5.) deni- 5.
que argumentabantur à majori ad minus ſeu ἐκ τοῦ μᾶλλον: Si in-
ſanus Neſtorius, Chriſtum dividens, non tamen auſus eſt dicere
duas voluntates, quanto minus nos id audeamus, ἔκθεσις. §. *Si
enim.* Sed cum hiſce argumentis ſe nihil quicquam efficere ſenti-
rent, tandem ad argumenta, *tolerantiam ſuadentia*, confugerunt.
Se nempe (6.) poſſe tolerari, arbitrantes, quia duas in Chriſto 6.
naturas non negent; ſed perfectum Deum & hominem confitean-
tur, licet reliqua omnia, tanquam ſubtilia & difficilia declinent.
Satis namque eſſe, dicebat Cyrus ad Honorium, ſi in Chriſto tan-
tum Dei virilis voluntas & operatio diceretur. apud Baron. §. 3.
& 8. ann. 633. Et Honorius: *Non debere ad nos pertinere*, in- "
quit, *utrum gemina, an una operatio dici debeant, nec duas Chriſti* "
operationes in ſacris literis; ſed tantummodo multiformem inveniri "
ejus operationem. in Epiſt. ad Sergium. Quòd ſi enim Hierony- "
mus abſque hæreſi exiſtimaverit, non eſſe dicendas tres hypoſtaſes,
ut pateat ex ejus epiſtola ad Damaſum; etiam Honorium & ſe
poſſe prohibere dictionem unius vel duarum operationum, ini-
tio creſcentis hæreſeos Monotheletarum &c. Nam (7.) ita in- 7.
ferebant: Sine quibus vocibus ſalva potuit eſſe fides, illæ ſine pe-
riculo omitti poſſunt: Atqui ſine vocibus *unius* vel *duarum vo-
luntatum & operationum.* E. Minorem videbantur probare ex
eo, quod nihil certi hactenus de iis in Synodis promulgatum ſit.
Imò (8.) Se non malo animo à duarum voluntatum & opera- 8.
tionum appellatione abſtinere; ſed vel ad ſummam naturarum
unionem declarandam, ajebant: *Fieri poteſt*, inquiebat Pyrrhus,
*ut ſicut ex duabus naturis unum aliquod compoſitum dicimus; ſic
ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compoſitam di-
camus. Ut, qui duas voluntates dicunt propter naturalem in Chri-
ſto naturarum differentiam, & qui unam dicunt propter ſummam
unionem non amplius propter nudas & ſolas voces inter ſe pugnent:
ſiquidem nobis non in nominibus, ait Magnus in Theologia Grego-
rius,*

rius, ſed in rebus eſt Veritas. ad Max. p. 760. f. Vel advitandas hæreticorum calumnias, ita ἔκθεσις in fine. §. *Unde unum &c.* & principio §. *Similiter autem &c.*

§. XXIII.

Reſponſiones ad 1. Verùm enimverò hæc argumenta orthodoxiæ præjudicari non poſſunt. Ad 1. namque reſp. Negando majorem propoſ. Non enim verum eſt: quot ſunt perſonæ volentes, tot voluntates, ſicut non verum erat, quod & ab Eutychianis & Neſtorianis ſtatuebatur: Quot ſunt naturæ, tot ſunt perſonæ & vice versâ; Inſtantia etenim datur in S.S. Trinitate, ubi tres ſunt volentes, & tamen una ſimpliciſſima voluntas divina &c. Diſtinguendum igitur inter voluntates unius, & unitatem voluntatis; illæ ſequuntur ex una perſona volente, non hæc. Nam voluntas quidem eſt volentis, ſed naturaliter tamen volentis; & licet unus velit ratione perſonæ, poteſt tamen, ratione naturarum, diſtinctâ voluntate velle; quæ diſtinctio non infert ſeparationem. Sed ſicut numerus naturarum unius & ejuſdem Chriſti non dividit eum, verùm differentiam etiam in unione, ex qua non debet fieri σύγχυσις ſeu confuſio, cuſtodiri demonſtrat; ita gemina in unitate conſiſtens voluntas, Chriſtum diſtinctam producere, non verò ſeparatam motionem naturalem, oſtendit. Reſp. ad 2. Ad 2. arg. quod cum Pontificiis, ſemper ſuos errores antiquos & Lutheranorum doctrinam novam jactitantibus, commune habent, ita reſp. Illud eſſe antiquiſſimum quod veriſſimum, cum veritas ſemper ſit falſitate antiquior, licèt aliquando oppugnetur & malitiâ hominum occultetur. Unde Chriſtus Matth. XV. 3. docet quaſi, non commiſcendam eſſe antiquitatem fictam, ſimulatam, & ſpuriam, cum vera, genuina & indubia. *Conſuetudo enim,* inquit Cyprianus alicubi, *ſine veritate eſt vetuſtas erroris.* Quòd ſi omne antiquum, bonum & verum eſſet; Judæi, & Ethnici, imò ipſum peccatum & diabolus, multum ſibi ex antiquitate authoritatis arrogare poſſent. Limitanda ergo major erit propoſitio: Q. ſententia antiquitatem *veram & primogeniam* pro ſe habet, illa eſt vera; Sed ſic minor erit falſiſſima. Licèt enim nonnihil antiqua ſit ſententia, cùm ab Eutyche ſuam originem duxerit, ut ſuprà oſtendimus: Genuini tamen, & orthodoxi, & vetuſtiores Patres nequaquam, multo minùs V. Concilia allegata hunc foverunt errorem. Nam quod Concilia attinet,

attinet, eorum conſenſum ſibi pari jure tribuunt, quo Neſtorij ſectatores conciliorum, Eutychem damnantium, ſententiam ſibi arrogabant; Ideoque reſponſionem Concilij Epheſini Neſtorio datam ſibi applicent: *Non ſufficit tuæ religioni, tantummodo fidei ſymbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idem tempus, Spiritu Sancto largiente, à venerando & magno concilio apud Nicæam congregato. Hoc enim non intellexiſti, nec rectè interpretatus es, quinimò perversè: Licet ſono vocis eadem verba protuleris.* vid. Epiſt. Synod. Conc. Epheſ. ad Neſtorium. apud Cent. Magd. Cent. V. cap. IX. col. 497. Falſum etenim eſt Synodos hoc unquam ſtatuiſſe; ſiquidem de operationum & voluntatum vocibus, tanquam tum nondum controverſis, in illis Synodis nihil habetur, niſi eo referre velimus, quæ de proprietatibus utriuſque naturæ integris ſervatis, in ipſa unione, in illis Synodis dicuntur; ea autem obſunt, non proſunt Monotheletis. Unam verò ſubſtantiam compoſitam, & unam naturam Dei verbi incarnatam, quam ἔκθεσις propugnat, reprobat & Chalcedonenſe Concilium, damnans unam carnis ac divinitatis in Chriſto naturam confingentes. vid. Cent. Magd. c. l. col. 531. & Conſtantinop. II. can. 8. his verbis expreſſis: *Si quis ex duabus naturis, Deitatis & humanitatis, confitens unitatem factam eſſe; vel unam naturam Dei-verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt; quod ex divina natura & humana, unitione ſecundùm ſubſiſtentiam factâ, unus Chriſtus effectus eſt: Sed ex talibus vocibus unam naturam, ſive ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti, introducere conatur: talis anathema ſit.* apud Cent. Magd. Cent. 6. c. 9. col. 279. Deinde Patres partim falsò citantur, partim non feriunt quæſtionem, quæ ab illis dicta ſunt. Ita *Dionyſius & Damaſcenus* θεανδρικὴν ἐνέργειαν dixerunt, ut intelligerent per eam duplicem operationem, nempe divinam & humanam, cohærenter unitas, docentibus Patribus in Concil. Lateranenſi Anath. 15. *Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos Dei virilem operationem, quod Græci dicunt* θεανδρικὴν, *unam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur, ſecundum ſanctos Patres, h. e. divinam & humanam, aut ipſam Dei virilis; quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem, unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unitionis demonſtrativam, condemnatus ſit.* Ne jam de eo dicamus, quod

G Marti-

Martinus P. corruptè eſſe allegatum à Cyro Dionyſij locum, in Capitulo VII. oſtendit in Concilio Rom. & pro *novam* Dei-virilem operationem, *unam* eſſe ſcriptum. *Leonis* verba ſunt orthodoxa. *Cyrillus* verò & *Gregorius Theologus* nihil contra duas voluntates Chriſti aſſerunt, ut Patres dict. Conc. ſatis oſtenderunt. Hic deificatam, ergo non divinam tantùm; ſed humanam in divinæ unitate aſſumptam, non contrariam; ſed ſe ad divinam accommodantem docuit, quemadmodum natura deificata non unam, ſed duas arguit naturas: Ille verò omnipotentem, non excludens humanam, tribuit voluntatem, uterque orthodoxè. Et ſi vel maxime V. illæ Synodi & adducti Patres ἐκθέσει faverent; non tamen inde aliquod apodicticum argumentum ſumi poterat. Nam non quid Synodus & Patres ſtatuerunt, verum ſemper; ſed quid verè & cum ſcriptura. In multis ſiquidem hæreſes ſunt ſtabilitæ, & Patres ſæpius errarunt; ſed ſcriptura ſibi perpetuo conſtat, ac nulli eſt obnoxia errandi periculo, cum Sp. Sancti in Scripturis & & per Scripturas loquentis judicium ſit publicum, perpetuum &
Ad 3. infallibile, vid. Gerh. LL. p. 438. edit. in 4. Ad 3. Arg. pro oppugnanda ſententia vera adductum reſp. Connexionem majoris infirmam eſſe, nec ratione additâ probari. Cùm diſtinctum & diverſum non ſtatim ſit contrariè oppoſitum. Sed optimè hîc militat diſtinctio Damaſceni, apud Centuriat. Cent. VIII. Magd. c. IV. col. 64. diſtinguentis, *inter contrarietatem ſententiæ & proprietatem naturæ. Voluit ut Deus, & etiam ut homo diſtinctè, ratione proprietatis naturæ, non ratione contrarietatis ſententiæ, ipſe enim dicebat: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Matth. 26.* Et proinde eſt dicere, ſe nolle duas voluntates profiteri, ne contrariæ & ſe invicem expugnantes in Chriſto ſtatuantur; ac ſi nollem duas naturas agnoſcere, ne viderer contrarias, & ſe invicem oppugnantes confiteri; aut vitare cuperem profeſſionem trium perſonarum, ut Tritheitarum hæreſin effugerem. Cùm minimè tamen exinde
Ad 4. ſequatur. 4. Arg. coincidit cum illo Eutychianorum: Ubi duæ ſunt naturæ, ibi duæ hypoſtaſes. Atqui in Chriſto. E. Ideoque ſicut contra Eutychem diſtinguebatur inter hypoſtaſin, quatenus notat ſubſiſtentiam, ut in Deo, Angelis & hominibus; & quatenus notat exiſtentiam, ut in rebus, quæ quoquo modo ſunt, diſtinctis ab iis, quæ non ſunt: & de prima acceptione negabatur hæc

major;

major; de altera verò concedebatur. vid. Cent V. Magd.c.V. col. 338. ſeq. Ita etiam hîc diſtingui poteſt inter volens exiſtens ſeu naturam; & volens ſubſiſtens ſeu perſonam, & deinde limitari major: Quot ſunt voluntates, tot ſunt exiſtentes naturæ volentes, non verò perſonæ. Falſum enim eſſet, ſi dicatur tot eſſe perſonas volentes quot voluntates aut contra, ut ſupra oſtenſum in reſolutione arg. 1. Hâcque limitatione additâ minor negatur. Probatio majoris poteſt retorqueri: h. m. Voluntas aut infert perſonam aut naturam; Non perſonam ut jam dictum, quia non eſt proprietas perſonæ, tùm etiam, quia hæc abſurda inde ſequuntur (1.) Sanctos & Deum fieri unam perſonam, ut poſſem dicere, Ego ſum Deus Pater, ego ſum Chriſtus ſeu Sp. Sanctus, ſicut olim Weigeliani, Anabaptiſtæ alijque fanatici ſeculo etiam ſuperiori, nugati ſunt. (2.) Nos, quoties mutamus voluntatem, mutare perſonam, quod etiam abſurdum &c. E. naturam. Sed hæc ad hominem. Quod verò rem ipſam concernit facilè reſpondetur ad abſurda, quæ, ſi voluntas dicatur eſſe naturæ, ſequi putant. Nam ad (α.) reſp. Eſſe æquivocationem in voce *voluntas:* Alia enim eſt voluntas effectrix, & alia voluntas effecta, ſeu alia voluntas quæ vult, alia quæ volita: ſicut non idem eſt vis videntis cernendi, quæ viſio dicitur; & quod cernitur, & etiam viſio ſolet dici; illa ineſt ſubſtantialiter; hæc extra eſt. Patres abuſivè eam rem, quam quis vult, voluntatem vocarunt. Vel ſi ita Patres intellexiſſe dicatur; ſanctos ſuam voluntatem divinæ ſemper conformare, nunquam opponere, nunquam anteponere, ut quaſi una fiat, nobis non obſtabit. ad (β.) reſp. diſt. inter voluntatem ut notat actum aliquem ſeu appetendi ſeu averſandi; & ut notat facultatem & potentiam animæ rationalis ipſam. De illa hîc non eſt ſermo, neque ex illius mutatione mutatur natura; ſed libera, quoad actus volendi, fit: ſed de hac quæ nunquam mutatur. Nam voluntas, ſicut viſus, naturæ ineſt, & omnibus, quæ ejuſdem naturæ ſunt, ineſt: At verò, ſicut videre hoc vel illud, videre actu & non videre, modi ſunt utendi viſu, non ipſe viſus; ita velle hoc vel illud, velle deambulare vel nolle ſunt modi utendi voluntate, non ipſa voluntas. Circa (γ.) obſ. Aliam eſſe rationem timoris in Chriſto, quàm in nobis hominibus. Voluntas in nobis per peccatum Adami, per cujus reatum in pœnam, quæ mors ſpiritualis dicitur Eph. 2. 5.

nobis attraximus Rom. 5. 12. corrupta eſt, ut ſemper conjunctum habeat vitium. Job. 14. 4. Pſ. 51. 7. Eph. 2. 3. Rom. 7. 24, 25. In Chriſto autem fuit primæva illa voluntas humana, ad imaginem Dei creata Gen. 1. 27. abſque omni vitio. vid. Eph. 4. 24. Ebr. 4. 15. c. 7. 27. ſeq. Unde diſting. inter voluntatem timendi à Deo creatam, & vitium voluntatis, per reatum primi lapſus introductum: Illa nihil habet peccati; hoc peccatum eſt, & peccatum gignit; Eo enim non ſolùm caremus viribus & voluntate ad præſtandum aliquid boni à Deo præcepti; ſed etiam ad omne malum prohibitum proclives ſumus. Rom. 2. 23. Timuit quidem Salvator noſter ex natura, cujus vis & inſita facultas eſt timor, quo quælibet natura, à Deo non ad mortem, quæ illi ut pœna in primo homine propoſita eſt. Gen. 2. 17. Sed ad vitam creata, abhorret ab interitu ſui: Non verò timuit præter rationem ſeu immoderatè, ſicut nos homines, vel deficiendo, e. g. metu mortis Deum ſeu Chriſtum abnegantes, uti Petrus Matth. 26. 70. vel excedendo, ſive ex ſumma audacia mortem contemnentes, & vitam, nobiliſſimum bonum, quibuſvis periculis impiè objicientes, ut fieri amat in duellis &c. ſive ex impatientia nimia aut deſperatione, ſatis imprudenter mortem ſibi inferentes, uti Saul 1. Sam. 31. 4. & Judas. Math. 27. 5. metas timendi tranſire ſolemus. Ad id denique quod (ſ) Paulus Conſt. addit, obſervo Naturale aliquid dupliciter dici, vel ut morali opponitur, & homini cum beſtiis eſt commune, quodque omnis rationis expers eſt, ut ſentire, augeſcere &c. & hæc naturalia neceſſariò, ni violenter impediantur, non poſſunt non fieri. Vel deinde naturale eſſe poteſt, ut tamen rationi ſubordinetur, ejuſq; imperiũ admittat, qualia ſunt voluntas & electio &c. quæ ſunt hominis propria, non tam naturaliter & neceſſariò, quàm moraliter volentis. Voluntas ſiquidem dupliciter conſideratur, vel ut agens naturale, & ut eſt principium ſimplicis volitionis, abſq; deliberatione prævia; vel ut agens liberum, & ut eſt principium electionis. Priori modo conſiderata nihil peculiare habet à reliquis facultatibus, quæ naturales dicuntur, & ad unum determinatæ ſunt: Sicut enim illæ neceſſariò agunt, ita, ut non poſſint non agere, ita & voluntas hoc modo conſiderata: Poſteriori autem modo voluntas eſt libera, & peculiare ſortitur nomen, ut dicatur *liberum Arbitrium*, totoque cœlo ab aliis potentiis naturalibus diſtat. uti clariſs. Dn. Prof. Ladovius, fautor & Præcept. meus, quondam, obſervantiſſimè colendus, h. t.

patriæ

patriæ Gymn. Rev. Rect. & Inſpect. graviſs. collegio privat. in Tab. VI. Eth. Cellarij cap. IV. optimè docuit. Et hoc poſteriori modo Chriſti voluntas humana naturalis dicitur, ut nec phyſica illa violentia, quaſi contra naturam ſuam immutata ſit, nec moralis violentia, acſi ab externo principio, contra conſenſum, fuerit violenter ad paſſiones ſuſcipiendas coacta, in illa locum habeat. Quanquam enim, reſpectu mortis & paſſionum, invitè quaſi videbatur velle; tamen, reſpectu finis, magni nobis omnibus obventuri boni voluntaria fuit hæc paſſionum in ſe ſuſceptio: Acceptabat, conſentiebat & acquieſcebat voluntati Patris, licèt horrorem & metum ſentiret. Volebat finem propter ſe, media verò propter finem bonum. Sed pergimus ad 5. Adverſariorum argum. quod meræ probabilitati ſuperſtructum, veritati parum obeſt. Quid enim orthodoxorum intereſt, utrum inſanus Neſtorius per ſuas falſas hypotheſes duas voluntates dicere voluerit aut potuerit. Potuiſſe eum ſalvâ ſuâ heterodoxia, de duabus perſonis, duas voluntates ſatis commodè & tùtò dicere, negari non poteſt, quoniam duas naturas confeſſus eſt: Quod verò non auſus ſit dicere, inde ſequitur, Monotheletas illo longè audaciores eſſe. Ille enim audax quidem eſt in dividendo Salvatore, in unione naturarum conſiſtente, voluntatem tamen non auſus eſt dividere, utpote non omnem unionem removens, ſed ſecundum affectum & voluntatem concedens, ut de eo ſuprà §. 9. & 15. ex Baron. Ann. ad Ann. 628. §. 6. & 633. §. 55. notavimus. Aſt illi diſtinctas ejus naturas confundere audentes, etiam voluntates commiſcere non verentur, verè audace audaciores, inſano inſaniores! Quod 6. Arg. attinet, malam ſuam produnt cauſam, dum ad πρῶτον illud ψεῦδος Pſeudopoliticorum & tepidorum Theologorum recurrunt, tolerantiam & mixturam falſitatis cum veritate comminiſcentes. Hoc ipſo enim ſe, de ſententia ſua deſperare, & hæretico ſpiritu agitari, oſtendunt. Impia ſiquidem ejuſmodi eſt tolerantia, divinis interdictis repugnans, Eſa. 5. 20. 2. Cor. 6. 14. ſeqq. Gal. 1. 8. Eph. 5. 11, Tit. 3. 10. 2. Joh. 10, 11. Et toties à noſtratibus exploſa, quoties à Syncretiſmi fautoribus in ſcenam producta. vid. D. Danhavv. in ſigal. p. 243. Abſque enim Symphoniſmo non poteſt fieri Syncretiſmus & mutua tolerantia. Falſitas cum falſitate quidem conjungi poteſt; aſt veritas cum falſitate minimè. Illæ enim uni eidemque auctori &

ad 5.

ad 6.

Principi, nempe diabolo, ſuum debent originem; hæ verò ex diverſis, nempe Deo veritatis fonte, & Diabolo falſitatis Patre, principiis fluunt, nullo modo conciliandis. Quare inter Pontificios & Calvinianos, utroſque & Scripturæ Sacræ auctoritatem deſtruentes, Chriſti perſonam violantes, inque aliis falſis dogmatibus conſpirantes, facilius unionem ſpiritualem fieri poſſe putamus, quam inter nos & illos utroſque. Illi enim hâc ſuâ mutuâ tolerantiâ regno ſuo nihil detrahunt; ſed id magis corroborant, cum fortius regnum ſit unitum quàm diſtractum. Orthodoxis verò in detrimentum Regni Dei nihil quicquam de ſententia vera remittere licet: aut generalia quædam confiteri, ſub quibus heterodoxia occultari poſſit, & illa, quæ falſos Prophetas detegit, ſilentio præterire. *Væ mihi*, inquit Agatho Pontif. R. *ſi ſilentio texero veritatem, quid dicam in futuro Chriſti examine, ſi hîc prædicare ejus ſermonum veritatem confundor?* In Suggeſt. ad Imp. Conſtantinum. *Nam in cauſa Dei, ubi communionis periculum eſt, etiam diſſimulare, peccatum eſt*, dicebat Ambroſius lib. 2. de officiis c. 24. Et quî quæſo ſufficeret externis verbis profiteri duas naturas in Chriſto, eumque perfectum Deum & hominem; eam verò confeſſionem falsâ doctrinâ ſuâ evertere, ſibique ipſis contradicere; cùm perfectio nulla ſit abſque perfectionis notionibus, nec natura perfecta abſque proprietatibus? Annon hoc hæreticorum proprium ſemper fuit & eſt, ut hagiodæmon, gloriæ divinæ raptor & deformator, non tamen velit is videri; ſed ſemper ad occultandum ungues orthodoxa verba heterodoxo ſenſu intellecta, uſurpet? An non Ariani Chriſtum confitebantur filium à Patre genitum ante univerſum mundum, Deum, verbum, per quod omnia facta ſint; Et tamen illum meram creaturam eſſe intelligebant, ante mundum creatum, Deum ſicut Paulus Petrus & Angeli Dij dicantur? &c. vid. Lutherus T. 7. Jen. de Concil. f. 256. Nonne Sociniani Chriſtum dicunt quidem Dei filium; aſt intelligunt nuncupativum, adoptivum? Et quid decantatius eſt cùm apud Calvinianos, tùm Pontificios; quam filium quidem Dei aſſumſiſſe humanam naturam, ita, ut duæ naturæ divina & humana in unitate perſonæ inſeparabiliter conjunctæ & unitæ ſint: Et tamen illi ſuâ contrariâ doctrinâ ſolvunt unionem perſonalem, & geminam perſonam ſaltem conſequenter cum Neſtorio faciunt, ſicut

Paral-

Parallelismus Calvino-Neſtorianus, præterito anno Lipſiæ ſub præſidio Excell. D. Schertzeri editus oſtendit; hi verò negant Chriſtum ſecundum humanitatem per & propter unionem perſonalem eſſe Deum. atteſtante B. D. Menzero T. 1. op. p. 43. contra Gregorium de Valentia de fundamento ubiquitatis diſputantem. Hæc quis tolerare, hiſce quis cum injuria veritatis & gloriæ divinæ connivere auſit? Si Monotheletis ſufficit confeſſio duarum naturarum in Chriſto, eumque eſſe & verum Deum & verum hominem, quare ergo Neſtorium damnant? Nunquam enim duas naturas Chriſti negavit, teſte Boëthio, à nobis ſupra §. 9. citato: Sed ideo damnatus eſt, quod negaret communionem inter Deitatem τȣ̃ λόγȣ & humanitatem; ex qua & per quam Deus eſt & dicitur homo, & homo eſt & dicitur Deus, docente B. Mentzero Tom. 1. op. p. 706. Equidem non ignoramus, nos juberi Rom. 14. 1. infirmos in fide aſſumere & tolerare; ſed illa tolerantia non eſt trahenda ad fundamentaliter errantes, atque articulum in fundamento fidei pertinaciter impugnantes, præfractèque Dei ſpiritui contradicentes. Idem namque qui τὸν ἀσθενȣ̃ντα juſſit προσλαμβάνεσθαι, loc. cit. etiam juſſit τȣ̀ς τὰς διχοστασίας ϗ τὰ σκάνδαλα, παρὰ τὴν διδαχὴν, ποιȣ̃ντας σκοπεῖν, ϗ ἐκκλίνειν ἀπ᾽ αὐτῶν. c. 16. 17. Sicut ipſe Chriſtus fermentum Phariſæorum non tolerandum, ſed fugiendum præcipit Luc. 12. 1. falſos prophetas veſtimentis ovium incedentes non recipi; ſed caveri vult, Matth. 7. 15. Et pia antiquitas adeo deteſtata eſt commercium cum hæreticis, ut cum illis quoque converſari, maximè abhorruerit. Exemplum Hieronymi nimis incongruum eſt: Ille enim vocabulum ambiguum, ſub quo heterodoxia latere poſſet, & veritas detrimentum capere, cupiebat aboleri; Monotheletæ verò voces in Scriptura fundatas in detrimentum veritatis volunt occultari. Nam ὑπόστασις & ſubſtantia latinis ſynonyma erant, & promiſcuè uſurpabantur, annotante B. D. Danhavv. Hodoſ. p. m. 182. Ideo Hieronymus, retentâ re, potuit de incommoditate vocabuli diſputare, præprimis, cum in ſcriptura non expreſsè hoc vocabulo perſonarum diverſitas in Trinitate tradatur: Honorius verò & reliqui Monotheletæ, negatâ re ipsâ, duarum voluntatum voces, quas ſibi obſtare videbant, contra ipſam Scripturam S. tollere conati ſunt, quod minimè licet. Deinde falſum eſt, quod 7. dicitur: ſine vocibus hiſce ſal- ad 7.

vam

vam poſſe eſſe fidem. Verba enim & voces ſunt ſymbola & ſigna rerum, maximè ſub confeſſione conſtitutarum; unde neceſſe eſt, negatis verbis & vocibus, rem & veritatem non ſervari; Quandoquidem nemo verba & voces, ſi commodæ ſint, oppugnaverit, ſi rem ipſam concederet. Verum, ſicut olim Arianos, Chriſti Deitatem negantes, vox ὁμουσίυ, illorum fallaciam conſtringens, offendebat, & hodierni hæretici, *oralis manducationis, communicationis idiomatum &c.* vocum proſcriptione, arenam oculis aſpergere conantur, ne furta deprehendantur, aut heterodoxia detegatur; ita etiam Monotheletis *duarum voluntatum & operationum* voces ſudes erant in oculis. Quæ voces, poſtquam, ad quæſtionis motæ deciſionem, ex ſcripturis propoſitæ ſunt, non poſſunt amplius, ſalvâ veritate negari. Nec huc facit, quod in Synodis nihil certi de iis promulgatum ſit; quæ enim ambigua non habebantur, ea in medium proferre nullum operæ erat pretium, cùm adhuc error ille lateret: Nihilominus tamen, licèt κατὰ ῥητὸν non definiverint, principia dederunt, unde colligi poſſit, quid dixiſſent, ſi ea controverſa fuiſſent. Denique ad 8. arg. reſp. Non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona, ſeu non tradenda falſa, ut inde emergat verum: aliàs etiam Manichæi potuiſſent ſe excuſare, quod duo Principia ſeu duos Deos finxerint, alterum bonum, alterum malum, non malo animo; ſed ne Deo bono peccati culpam adſcriberent. Quaſi verò veritas indigeat falſitatis patrocinio, nec abſque ea defendi poſſit, aut non tàm periculoſa ſit Confuſio Eutychiana, quàm ſeparatio Neſtoriana. Quod ſi non malo animo unam voluntatem dixerunt, quare ergo melius informati ab errore non deſtiterunt? Verum eo nimirum tendit eorum bonus animus, ut obtentâ tolerantiâ invaleſcant, & orthodoxos unà cum veritate tandem opprimant. Nam falſum eſt hâc confuſione, ſummam naturarum unionem declarari, cùm non tam arcta fingenda ſit unio, quæ alterum unitorum tollat, & ne quidem unio dici poſſet, multo minus hypoſtatica. Equidem *perſona* σύνθετος contra Samoſatenum & Neſtorium à Patribus appellari conſuevit, non ratione partium, tanquam ex duabus partibus eſſentialibus conſtaret, aut quod perſona τοῦ λόγου in ſe & per ſe alterationem quandam & ſimplicitatis ſuæ excidentiam paſſa fuerit: ſed ratione numeri, quia poſt factam ἐνσάρκωσιν ſit *duarum naturarum hypoſtaſis.* vid. Damaſc.

ad 8.

lib.

lib. 3. c. 7. lib. 4. c. 5. alleg. à B. Menz. T. 2. op. p. 226. Nunquam autem, tam ex duabus naturis unam compoſitam naturam, quàm etiam ex duabus voluntatibus unam compoſitam voluntatem emergere, dici poſſe, rectè negat Maximus contra Pyrrhum. Compoſitum enim appellatione compoſitorum appellari non poteſt. Quod verò porrò dicunt, ſe ad vitandas hæreticorum calumnias abſtinere ab unius voluntatis appellatione. Id ipſis obeſt potiùs quàm prodeſt. Eo ipſo enim, quod hæretici hoc nolint, eo magis urgendum: miſera certè foret noſtra Theologia, ſi ea tantum dicenda & docenda eſſent, quæ non malè habeant adverſarios. Longè aliter ſenſit Chriſtus, dum non deſtitit confiteri, ſe verum eſſe Deum, licet anſam calumniandi inde ſumpſerint adverſarij ejus Matth. 26. 64. Imò, ſi Apoſtolus Paulus PſeudoApoſtolis, circumciſionem urgentibus, ne ad horam quidem cedere voluit; quantumvis tum temporis rei adiaphoræ naturam ſuſtineret. Gal. 2. 4. Et Daniel, in gratiam adverſariorum ne quidem clauſis feneſtris preces ſuas facere voluit. Dan. 6. 10. Quantò magis orthodoxos decebat, confeſſionem veritatis retinere & defendere, ne hoſtes veritatis in ſuâ heterodoxia confirmarentur, & orthodoxis periculum & ſcandalum inferretur. Neque enim tam levis momenti res eſt, negare voluntates Chriſti duas, ut inter inutilia & ſubtilia referri, & pro nuda λογομαχία haberi mereatur: Sed cujus negatio fundamentum ſalutis evertit. Quod ut melius pateſcat, ſequenti quæſtione IV. id oſtendemus.

§. XXIV.

Quæſt. IV. An fundamentalis diſſenſus ſit inter Monothelethas & Dyotheletas? Affirmatur.

Quæritur: An fundamentalis diſſenſus fuerit inter Monotheletas & Dyotheletas, ſuppoſito etiam, quod conſenſerint in literali ſenſu Symbolorum, quæ in Conciliis V. œcumenicis ſuperioribus fuerunt concinnata? Affirmatur. Rationes poſſunt eſſe ſequentes (1.) quidem, quod qui circa numerum voluntatum Chriſti diſſentiunt, etiam circa numerum naturarum ejus diſſentiant. Una ſiquidem poſitâ voluntate, una quoque ſtatuitur natura, quoniam quælibet ſuis natura proprietatibus deſtituta, ut ſæpius dictum, revera non eſt, ſecundum illud: φύσις ἀνιδίωτος πάντως καὶ ἀνύπαρκτος. *natura carens proprietatibus caret etiam exiſtentia.* adductum à D. Hüttero in Explic. Form. Concord. Art. 8. p. 849. quod ipſum etiam Monophyſitæ olfecerunt, duas naturas

Ratio I.

H negan-

negantes, ne in Chriſto duas voluntates ſtatuerent, ſic argumentando: *Si duas in Chriſto demus eſſe naturas, conſequentur eas neceſſitate quâdam omnino etiam duæ voluntates. Si verò hoc conceſſum fuerit, eâdem neceſſitate duæ inducentur perſonæ, & duæ virtutes operatrices, inter ſe contrariæ prorſus.* cit. ex Nicephori lib. 18. c. 51. Cent. VII. Magd. cap. V. p. 60. Nemo autem tam impudens erit, qui negaturus eſt articulum de duabus naturis in Chriſto eſſe fundamentalem, & inter eos, qui eum negant & affirmant non eſſe fundamentalem diſſenſum. Quomodo enim illi non fundamentaliter diſſentiant, qui de ipſo fundamento, quod Chriſtus eſt, non conveniunt? Etenim quando Scriptura e. g. 1. Cor. 3. 11. Chriſtum proponit fundamentum fidei, terminus Chriſti non ſumitur incomplexè aut ſimpliciter, ac ſi ſufficeret nuda profeſſio nominis Chriſti abſtractivè, ut ſubjectum abſque attributis, aut definitum abſque definitione, conſiderati, nullâ habitâ ratione, quid de illo præterea doceatur. Verùm ſicut non ſufficit ad verum cultum Dei nuda Dei profeſſio, ſive verus ſit ſive falſus, ſive unus in perſona & eſſentia, ſive trinus in perſonis credatur; ſed omnino ad ſalutem neceſſarium eſt, & à nemine ignorari, multò minus negari ſive impugnari poteſt perſonarum divinarum & numerus & diſcrimen, vigore noſtri Baptiſmi Matt. 28. 19. & dicti claſſici, 1. Joh. 5. 7. Itemque Symboli Athanaſiani &c. Ita etiam hîc Chriſtus cum ſuis attributis quoad perſonam, naturas & officium, imò univerſam œconomiam fundamentum eſt & dicitur. Nam hæc eſt vita æterna, ut ſolum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum noſcamus, Joh. 17. 3. non uti nobis falsò imaginamur, ſed ſicuti eſt reverâ & in Scriptura ſe manifeſtavit: & 1. Joh. 4. Evang. Johannes Pſeudoprophetam eſſe dicit, neque ſpiritum ex Deo habere, ſed AntiChriſti, quicunque confitetur Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, ad quem locum ita D. And. Oſiand. in notis marg. ad h. l. *Non confitentur autem Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, qui negant ipſius divinitatem, ut Ariani: qui negant ipſius humanam naturam, ut Eutychiani & Marcionitæ: qui diſcerpunt perſonam Chriſti, ut Cingliani: qui affirmant meritis noſtris coram Deo expiari peccatum, ut Papiſtæ.* conf. 1. Joh. 2. 22. Quod ſi dicatur, Monotheletas duas naturas expreſsè confiteri. E. incongruum eſſe exinde diſſenſum fundamentalem oſtendere, Nihil tamen obtinetur, Quod enim unâ manu largiuntur, id alterâ tollunt,

neque

neque minus fundamentum fidei evertit, qui conſequenter, quam qui directè contra illud docet; ſicut Chriſtus dicit, *Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non mecum colligit, diſpergit.* Luc. 11. v. 23. Licet hic, qui directè impugnat, evidentius impingat, quàm qui indirectè; quemadmodum non minus Romam pervenit, qui per ambages, quàm qui rectà eò progreditur; nec minus, qui occultè, quàm qui apertè hominem interficit, homicida eſt. Objiciat autem ſi fortè quis diſtinctionem Gisb. Voëtij Part. II. diſp. ſelect. diſp. 34. p. 518. quâ diſt. *aſſertionem alicujus, quam ipſe apertè & explicitè proponit ac defendit, à quocunque ἑπομένῳ ſeu conſectario, quod ex illa aſſertione non ipſe elicit, nec videt elici poſſe, ſed alij perſpicaciores verè inde eliciunt, licèt non per proximam & evidentem conſequentiam, ipſo ſc. hoc ignorante, contra proteſtante, & conſequentiam illam cum conſequentibus conſtanter negante & rejiciente.* dicatque poſteriori modo errantes, ſicut Monotheletæ, non fundamentaliter errare. Ei reſpond. Sufficere conſequentiam eſſe juſtam & liquidam, licet contraria pars eam neget, aut per efficaciam erroris, quam Deus illi juſto judicio immiſit 2. Theſſ. 2. 11. non videat, aut videre velit. Sicut Phariſæi ſe ſuis traditionibus mandato Dei derogare non putabant, etſi à Chriſto ſatis validè demonſtrabatur. Matth. 15. 4, 5, 6. Deinde (2.) ita argumentamur: *Q. in eſſentialibus ſtatus Exinanitionis Chriſti diſſentiunt, illi fundamentaliter diſſentiunt.* Ratio eſt, quia ſtatus Chriſti exinanitionis, quo ſe ſecundum humanam naturam Majeſtatis divinæ, vi unionis perſonalis ſibi communicatæ, uſu plenario & inceſſante, verè & realiter, liberè tamen ſeu voluntariè ad tempus abdicavit, & ſervi formam aſſumere voluit Phil. 2. 6. ut pro peccatis noſtris juſtitiæ Dei ſatisfaceret, & amiſſam ſalutem lapſis repararet, eſt actus meritorius 2. Cor. 8. 9. atque ad meritum Chriſti pertinet, ut qui proinde eum oppugnat, ipſum Chriſti meritum labefactet, quod ſine dubio pertinet ad fundamentum fidei & ſalutis. *Atqui Monotheletæ & Dyotheletæ diſſentiunt in eſſentialibus ſtatus Exinanitionis.* Sublatâ enim humanâ Chriſti voluntate, auffertur ſtatus Exinanitionis; Quoniam Exinanitio facta eſt ſecundum humanam voluntatem, & Chriſtus Patri obediens factus eſt ad mortem uſque crucis in humana ſua voluntate, cum ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ non dicatur de divina natura ſed humana. Nam forma Dei Ratio 2.

 non

non eſt ipſa natura præciſè divina (licet Patres videantur ſæpe formam & Dei & ſervi de divina & humana natura ſumere, ſed non immediatè, verùm pro conditione naturæ) ſed divina Majeſtas, ſicut forma ſervi humanam humilitatem denotat. vid. D. Calov. Syſt. Theol. Tom. VII. art. V. c. 1. p. 616. Hinc humana erat voluntas, quâ, propoſito ſibi gaudio, maluit tamen ſuſtinere crucem, & facere voluntatem Patris ſui cœleſtis. Heb 12. 2. c. 10. 7. Non divina, quæ cum Patris voluntate coincidit, nec ab ea diſcerni poteſt. *E. fundamentaliter diſſentiunt.* Non minus (3.) ſententiâ unius voluntatis, ſcil. divinæ, officium Chriſti Sacerdotale, debilitatur, quod conſiſtit in ſatisfactione & interceſſione pro nobis; & quidem in ſatisfactione tam activa, nempe perfectâ legis obedientiâ; quàm paſſivâ, ſufficientiſſimâ pro peccatis paſſione: Quæ obedientia paſſiva Chriſti planè tollitur. Chriſtus enim abſque voluntate humana non potuiſſet in morte & crucifixione pati, Quæ paſſiva obedientia Chriſti, tantum abeſt, ut non pertineat ad fundamentum noſtræ ſalutis, ut potius ſit ipſa cauſa meritoria, & fundamentum ſatisfactorium noſtræ ſalutis. Obedientiâ quandoquidem illâ ſatisfactum pro peccatis humani generis divinæ juſtitiæ, & vita æterna nobis acquiſita. Eſ. 53. 5, 6. Heb. 2. 14, 15. 1. Pet. 2. 21, 24. Quicunque igitur hanc ſatisfactionem evertunt, non poſſunt non fundamentaliter errare; ſed meritò *Chriſtum, qui eos ſuo ſanguine emit, denegantes dicuntur* in Reſcripto Martini Papæ ad Eccleſias de Actis Synodi Lateran. Et has tandem (4.) rationes illuſtrat exemplum Apollinaris Laodiceæ Epiſcopi Seculo IV. pro hæretico habiti, quod inter alia etiam unam in Chriſto ſtatuit voluntatem: Qui certè à Damaſo in Concil. Rom. Ann. Chriſti 379. Eccleſiæ communione ejectus non fuiſſet, niſi error fundamentalis fuiſſet. Manet ergò inter Monotheletas & Dyotheletas fundamentalis diſſenſus, nullo modo ſalvis utrinque principiis conciliandos. Nobis ad finem properandum eſt.

Ratio 3. Ratio 4.

§. XXV.

Media externa Monotheletarum varia. Autoritas Imperatoris.

Egimus hactenus de mediis internis, quibus ἔκθεσιν ſuam Eccleſiæ Chriſtianæ obtrudere laborabant Monotheletæ; reſtat, ut media quoq; *externa*, hiſce rigidiora, quorũ varia actitata fuerunt, in ſcenam producamus. Hujus generis erat *Autoritas Imperatoris*, præſidium nimirum illud & murus firmiſſimus, exemplo Ariano-

rum,

tum, Neſtorianorum, &c. nunquam magis proficientium, quàm brachio ſeculari & Principum, qui ſuſurrationibus & blandimentis falſorum Doctorum, aut fucatis rationibus Pſeudopoliticorum aures præbere ſolent, adjuti. Illa enim & hic prætendebatur, adeo, ut iram etiam adverſus eos, qui ἐκθέσει ſubſcribere, aut eam recipere detrectarent, minitarentur. Quod innuit Martinus Papa apud Baron. Ann. 649. §. 43. dicens; *Sergium falſum Epiſcopum Conſt. in auxilio habentem tum Imperantem Heraclium execrandam hæreſin pullulaſſe.* Et ex Pauli Epiſcopi itidem Conſt. conamine, conſtat, utpote, qui ſuaſor Conſtantio Imperatori fuit, ut omnes ad ſuſcipiendam hanc formulam cogeret. Cent. VII. Magd. c. 5. col. 63. imò ipſius facto Heraclij, qui Theodorum P. nec confirmare nec ordinare volebat, antequã ἔκθεσιν reciperet & confirmaret, teſte Baron. Ann. 648. §. 10. Hoc enim commodum erat medium, os orthodoxis obſtruendi, quippe qui veritati ſtudentes non poterant non videri autoritati Principis & Magiſtratus detrahere, aut crimen læſæ Majeſtatis committere. Nam eò res humana, proh dolor! rediit, ut majus crimen incurrant, magisque puniantur, qui contra Magiſtratum ſummum, aut Principem Reipubl. loquuntur & conſpirare videntur, quàm qui contra Deum, & ipſum Chriſtum Salvatorem noſtrum rebelles ſunt: quaſi autoritas divina ejuſque veritas non pluris æſtimanda quàm hominum. Longè aliter ſenſit Moyſes Exod. 16. 8. & Petrus Apoſt. Act. 5. v. 4. Huic medio adjungebantur *Miſſitationes* ad viros eminentiores, uti erat *Severinus* Epiſcopus Rom. de quo notanda verba Cyri ad Sergium: *Paratis nobis relaxare reſponſa in regia urbe, conjunxit Euſtatius, glorioſus Magiſter militum, & detulit mihi venerandos apices &c. tuæ beatitudinis, intus habentes & exemplar competentes & conſultiſſime, pariterque Deo amabiliter factæ ἐκθέσεως &c. propriâ fide noſtrâ ad Iſaacum excellentiſſ. Patricium & Exarchum Italiæ deſtinatæ, quam debet profiteri communis frater noſter Severinus Sanctiſſimus.* cit. à Baron. ad Ann. 639. §. 2. *Johannes* IV. Epiſc. Rom. quem Pyrrhus literis ſollicitavit ad ſuam hæreſin, colligente Baronio ex Epiſt. Agathonis R. P. ad ann. 640. §. 1. Item *Theodorus* P. R. ad quem Paulus Conſtantinop. literas miſit plenas blanditiarum & fucatæ charitatis: *Ecce ènim*, inquit, *quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum, ſpirituali, dico,*

Miſſitationes ad viros eminentiores.

habitaculo & concordiâ, quæ in Deo eſt, & in unitate fidei &c. Et porrò: *Audiamus igitur & conſentiamus Eccleſiæ Oratori, qui per linguam ſpiritus clarâ voce exclamat dicens: 2. Cor. 16. Omnia à vobis in charitate fiant.* Et rurſus: *Ad concordiam inclinemus nos ipſos, & unum ad charitatem ſapiamus.* apud Baron. ad Ann. 646. §. 23. ſeqq. Ne quid dicamus de Sergio, ad Cyrum literas ſcribente & monente, ne cuiquam concedat vel unam vel duas operationes dicere, item Honorium rogante, ut Sophronium cohibeat. vid. Cent. Magd. VII. c. 8. col. 131. & Baron. ad Ann. 633. Ut ita nulla pigmenta, falſitati colorem inducendi, & calumniæ, veritatem obducendi, omitterent. Haſce technas excipiebat *Convocatio Synodorum.* Optimè ſiquidem noverant, quantum momenti in Synodis ſitum, ideoque & hiſce arietibus oppugnare tentabant orthodoxos. Cujuſmodi erat Synodus à Sergio Conſt. adornata, de qua apud Baron. §. 13. Anni 639. & à Pyrrho iſtius ſucceſſore, § 14. In quibus ἔκθεσις relecta, mirificè commendata, ceu præſidium & fulcrum Eccleſiæ confirmata, & contradicentes damnati ſunt. Synodis accedebant *Cenſuræ Eccleſiaſticæ*, quibus diſſentientes ſubjiciebantur, ita quidem, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & alterius gradus, contradicentes, ab omni Eccleſiaſtico officio ſuſpendendi; monachi verò à communione corporis & ſanguinis Chriſti ſeparandi eſſent. Baron. l. c. §. 14. & Conſtans Imperator, ſedibus vacantibus hujus erroris Epiſcopos præficere curavit. Bar. ad Ann. 642. §. 2. Sed nec hæc ſufficiebant, verùm adhuc rigidius cum orthodoxis agebatur, nempe *Perſecutionibus.* Invaleſcente enim contagio Monotheletarum, invaleſcebat etiam eorum ſævitia; ut graviſſimis quaſi fluctibus concuteretur vera fides, teſte Baron. ad Ann. 640. §. 2. Et Cent. Magd. VII. cap. III. col. 20. refert ex Paulo Diacono, Zonara, Beda &c. Non minore furore & immanitate ſæviiſſe ipſos etiam Epiſcopos, hujus hæreſis patronos, quàm ipſum Tyrannum, ut etiam Conſtantinus Pogonatus in Epiſt. ad Occid. Eccleſias teſtatus ſit: *Pyrrhum & Paulum, & Petrum Conſt. Epiſcopos, & Cyrum Alexandrinum, & Macarium Antioch. & Stephanum & Polychronium, in tantum æmutatos eſſe impietatem; ut etiam diſcerpere membra Chriſti non dubitarint: nec barbaros tantum, quantum Chriſtianos Chriſtiani oppugnaſſe.* Notatu dignum inter alia crudelitatis monumenta eſt

Convocationes Synodorum.

Cenſuræ Eccleſiaſticæ.

Perſecutiones.

illa

illa in Pontificem R. Martinum tentata immanitas, qui ob, ad medelam corrupti ſtatus Eccleſiæ, indictam Synodum & condemnationem Cyri Alexandrini, Sergij ac Pyrrhi &c. Româ captivus abductus, quæſtionibus ſubjectus, linguâ manuque truncatus in Thraciam, Cherſoneſum exul relegatus eſt. referente Cent. Magd. VII. c. 3. col. 19. ubi etiam ſimile quid doctiſſimo Maximo cum duobus ejus diſcipulis, aliiſque multis Epiſcopis accidiſſe, videre licet. conf. c. 12. col. 309. Ita nimirum maluerunt Monotheletæ cum Judæis, Patrem ſuum Diabolum ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς, ſequentibus Joh. 8. 44. 59. Chriſtum in ſuis confeſſoribus lapidare, quàm veritati palmam dare. Equidem Diſputationibus variis aggreſſi erant veritatis confeſſores; inter quas primum locum meretur inſignis inter Pyrrhum Principem Monotheletarum Patriarch. Conſt. Hæreticum; & inter Maximum Monachum, coram Gregorio Patricio, Provinciæ Præfecto, inque conſeſſu ſanctiſſimorum Epiſcoporum in Africa, habita Diſputatio, circa Ann. 645. menſ. Jul. uti refert Baron. ad h. ann. §. 1, 2. Sed cum veritati rationibus reſiſtere non poſſent, ad argumenta realia, nimirum violentiam, & officio Magiſtratus repugnantem, cui non eſt poteſtas dominandi conſcientiis; & officio Sp. Sancti, per verbum, non vim, operantis in cordibus hominum, ut convertantur, confugerunt, ut paulo ante dictum. More hodiernorum noſtrorum adverſariorum, & ferro & flammâ, ubi invaleſcunt, ſuis placitis non faventes perſequentium; atque ex perverſo zelo id ſæpiſſimè contra orthodoxos uſurpantium, quod ne quidem contra hæreticos, & verbo Dei reſiſtentes, Chriſtus admiſit Luc. 9. 54. ſeqq. ſed prohibuit Matt. 13. 28, 29. conf. D. Calov. Syſt. Theol. T. 8. p. 604. ſeqq. Tandem verò, orthodoxam Eccleſiam premi quidem, non verò opprimi poſſe, imò perſecutionibus majora incrementa ſumere; ſe verò ſuâ ſævitiâ omnes adverſus ſe concitaſſe, intelligentes, *ſilentium* indici curarunt, edicto Principis Conſtantis, quod edictum *Typum* vocarunt, vid. Baron. l. c. Quaſi verò ex uſu legitimo elenchi hæ turbæ natæ eſſent, nec potius ex maleferiatorum horum diſſenſu à veritate 1. Tim. 6. 3, 4, 5. aut de lana caprina ſeu aſini umbra diſputatum fuiſſet, ſicut hoc ſeculo inter Calvinianos controverſiæ ad comas uſque & capillos pervenerunt: poſſit ne nimirum vir comam alere, ſicut mulier,

Diſputationes.

Silentium.

lier, aut barbam radere, teſte Salmaſio ad 1. Cor. 11. Et non potius de tanta re, quam ipſi Monotheletæ perſecutionibus dignam judicabant, & inſuper diligentiſſimam merebatur diſquiſitionem, quò elencho, tanquam argumento convictivo, ſui in fide erroris hoſtes veritatis, convincerentur ab Epiſcopis & Eccleſiæ Doctoribus, quorum officij pars eſt, contradicentes arguere Tit. 1. 9. ut rectè de illis judicavit Jovinianus Imp. Arianis, Athanaſium elencho utentem accuſantibus, reſpondens: ἔργον αὐτοῦ ἐστι καὶ τῶν καλῶς διδασκόντων. Officium hoc ipſius eſt, & eorum qui rectè docent. vid. D.D. Præſes Antiquit. Eccleſ. Sec. IV. Art. 2. §. 93.

§. XXVI.

Eventus non exoptatus.

Quibuſcunque verò mediis uterentur tandem Monotheletæ, & quamcunque formam decipiendi & opprimendi veritatem induerent; eventus tamen votis eorum impiis, & vanâ ſpe non reſpondit: Sed quales eſſent pacis præcones prodidit, ut verè de illis cani potuerit: *Vulcanum fornax aut ars indocta fefellit; εἰρήνην dum vult cudere cudit ἔριν.* Statim namque inventi ſunt, qui conſcientiâ ducti, utpote tum mandatis divinis, tum tenore vocationis ſeu officij ſui adſtricti, formulam iſtam recipere nollent, imò rejicerent ac repudiarent, non neſcij, Deo magis obediendum quàm hominibus, Act. 5. 29. Imperatori quidem parendum, quamdiu non jubet divinis mandatis contraria, quod ſi verò pietati aut divinis præceptis contrarium imperet, tum non eſſe connivendum; ſed cœleſtis Imperatoris potiorem habendam eſſe rationem, qui & animam & corpus perdere poteſt in Gehenna. Luc. 12. 5. Exemplo obſtetricum Ægyptiacarum, non attendentium ad Tyrannicum illud Regis mandatum Exod. 1. 22. & Satellitum Saulis, ad Imperium Regis, ſanguine Sacerdotum Dei manus ſuas cruentare nolentium 1 Sam. 22. 17. *Neque enim poteſtas hujus Principis, nimirum terreni, contemnitur, dum ſervitus majoris, nempe cœleſtis, eligitur, aut minor debet iraſci, ſi major præfertur, neque carcer plus gehennâ timendus,* inquit Auguſtinus. Erant autem contradicentes ἐκθέσει quamplurimi: Ex Epiſcopis Rom. *Severinus,* ſupra citatus, à quo condemnatam ἔκθεσιν & anathematizatam eſſe teſtatur Martinus in tertio Secretario apud Baron. ad ann. 639. §. 2. 3. Erat *Johannes IV.* qui non ſolùm ipſe Synodo Rom. collectâ hanc Expoſitionem Heraclij, & Monothele-

theletarum hæreſin, damnavit; ſed etiam, ut id omnes Eccleſiæ Africanæ præſtarent, autor fuit. vid. Baron. ad 640. §. 1. Hunc ſecutus eſt *Theodorus* Papa, qui videns deſperatam Pauli Conſt. curationem, Synodo in annum 648. indictâ, hanc hæreſin damnavit, & Paulum tàm per literas, quàm Apocriſiarios rogatum, admonitumque ad abjectionem commenti hujus & reditum ad orthodoxam fidem; manentem verò in impio conamine, etſi Imperator cauſam Pauli agebat, tamen excommunicavit, depoſitionisque ultione perculit, referente Baron. ad Ann 648. §. 10. Pari modo ſeſe huic formulæ oppoſuit *Maximus Abbas*, inſignis orthodoxiæ defenſor & pravitatis hæreticæ redargutor. Bar. ad Ann. 645. §. 1. ſeqq. Et alij quam plurimi Epiſcopi ex oriente, partim Romam ſeſe conferentes, & Epiſcopatus ſuos deſerentes; partim Synodalem Epiſtolam ad Theod. Pap. contra Monotheletas mittentes. e.g. *Sergius Cyprenſis* Metrapolitanus Epiſcopus, reliquique Cypri Epiſcopi: *Stephanus Dorenſis* Epiſcopus, à Palæſtinis Legatus ad Pont. Rom. miſſus, & alij, quibuſcum Theodorus Paulum hæreticum condemnavit. Hi omnes non præcipitanter ſeu ex zelo μὴ κατ' ἐπίγνωσιν ſeſe huic Expoſitioni oppoſuerunt; ſed diligenti præviâ deliberatione, convocatis Conciliis, habitis Synodis, rem aggreſſi ſunt, in quibus ἔκθεσις rejecta, & Monotheletæ damnati ſunt: Nimirum in Africa ab Epiſcopis Byzacenæ Provinciæ ſub Stephano Primate ipſorum. Ab Epiſcopis Numidiæ provinciæ ſub ipſorum Primate Columbo. Item Mauritaniæ Provinciæ, ſub Primate Reparato. Imò omnes Epiſcopi proconſularis Provinciæ Carthaginenſis, admodum concitati eo, quod Monotheletarum hæreſis omnibus credenda ſanciretur, ut ſinguli Primates in ſibi ſubjectis Provinciis Synodos convocarent, & Monotheletarum hæreſin contra Principum edicta damnarent. Uſque dum *Martinus Papa* totam rem tandem conficeret in Concilio Rom. Lateran. ſuaſu Maximi Ann. 649. indicto. Ubi præſentibus 105. Epiſcopis, omnia ſcripta, pro & contra hanc hæreſin publicè edita, una cum ἐκθέσει Heraclij lecta, ponderata: Heterodoxa ſententia ſubdola, inconſtans, mendax, & impia comperta & damnata; ἔκθεσις Sergij, nomine & auctoritate Heraclij Imperatoris promulgata, ejuſque ad Cyrum ſcripta, & Cyri reſponſa, improbata. Vera è contrario ſententia firmata, & 20. Ca-

I nones

nones ſanciti ſunt. Neque hæc ſolum Romæ facta ſunt; ſed acta Synodalia in ipſas Gallias miſſa, una cum Epiſtola Encyclica ad Galliarum Patres & Regem Clodoveum, quo & illi adminiculum facerent ad hæreſin hanc comprimendam; Item Epiſtola miſſa eſt ad *Amandum* Epiſcopum Trajectenſem eadem de cauſa. vid. Baron. ad Ann. 649. §. 2. 3. ſeqq. 20. ſeq. & 43. Ne jam dicamus de Synodo Trullana ſub Imperatore Conſt. Pogonato orthodoxo, itemque Syn. Conſtantinop. VI. in quibus veritas tandem ampliſſimè triumphavit.

§. Ultimus.

Remedia orthodoxorum

Ex quibus conſtat, quod orthodoxi in reſiſtendo huic hæreſi non violenta aut ſeditioſa remedia adhibuerint, vi aut armis Magiſtratui reſtiterint, tumultus civerint, ſeditiones moverint, ut nonnunquam ſolet ab inquietis fieri; ſed more Eccleſiæ Dei moderatè ea, quæ licita & verbo Dei congrua erant, uſurparint media i.e. Eccleſiaſtica. Opponebantur enim ab illis in principio *Admonitiones & Dehortationes*: Sæpiſſimè ſiquidem Sergius, Pyrrhus, Paulus, aliique hæretici à Romana ſede, & aliunde, perſuaſionibus, conteſtationibus ac increpationibus admoniti ſunt, ut ab hujuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, à quo lapſi erant, remearent. Hiſce verò nihil efficientibus opponebantur porrò *Synodi*, de quibus præcedenti §. dictum. *Diſputationes* cum errantibus, ſedatò ac legitimè ad αὐτοκαταλήψιν uſque inſtitutæ, qualis fuit præprimis diſputatio Maximi cum Pyrrho ſupra citata, qua Pyrrhus ad palinodiam adductus eſt, ut diceret, p. 760. diſp. illius: *Oportet ea, quæ inveſtigatione verâ patuerunt, grato animo amplecti, valdè diſtinctè demonſtratum eſt, eſſe in Chriſto naturales voluntates &c.* & p. 765. *Equidem jam perſuaſum eſt mihi, voluntates in Chriſto eſſe naturales &c. quodque fieri non poſſit, ut in unam voluntatem unquam inter ſe recidant, quamvis unius & ejuſdem ſint, ſicut & naturæ.* & p. 693. *Demonſtratum*, inquit, *profectò eſt in quæſtione de operationibus, abſurdum eſſe unam operationem in Chriſto dicere, quomodocunque dicatur; ſed veniam poſtulo tum mihi ipſi, tum iis, qui anteceſſerunt, ex ignorantia enim ad abſurdas has ſententias & argumentationes prolapſi ſumus &c.* Conf. Baron. ad Ann. 645. §. 9. Subjiciebantur etiam *Scripta*, tum quidem temporis, rariora, quàm hoc ſeculo; qualia fuerunt Sophro-

Admonitiones & dehortationes.

Synodi. Diſputationes.

Scripta.

nij

nij Epiſtola ad Sergium contra Monotheletas, & ipſius Pyrrhi libellus, contra hæreſin Monothel. vid. Baron. ann. cit. §. 11. 12. Epiſtola Encyclica Martini & Syn. Rom. apud Baron. ann. 649. §. 25. Epiſtola ejuſdem ad Amand. Trajectenſem §. 59. ad Conſtantem Imperat. §. 52. Maximè verò ejuſdem canones & anathematiſmi Concil. Romano-Lateranenſis. §. 22. Imò, ne quid, quod ad piam ſollicitudinem ac vigilantiam facere videbatur, intermitteretur, etiam *Legationes* adornabantur, cujuſmodi fuit Theod. P. R. ad Paulum Conſtant. Baron. §. 21. Ann. 646. Ubi verò ſpes omnis emendationis prorſus evanuiſſet, ſecundum Chriſti monitum Matt. 18. 15. & Pauli, Tit. 3. 10. etiam acceſſerunt *Excommunicationes* cum anathematibus conjunctæ, quibus priſca Eccleſia putrida membra, aliquandiu ſub ſpe emendationis in externa & viſibili Eccleſia tolerata, ejicere, & à corpore myſtico abſcindere ſolebant, uti exempla probant Apollinarij, Arij, Photini, Neſtorij, Eutychis, qui cum ſuas profiteri inciperent hæreſes, primum ab Epiſcopis & Presbyteris privatim, paulo poſt conjuncta cum Presbyterio opera moniti; ſed non correcti ab univerſa Eccleſia excludebantur. Excommunicatus E. pari modo Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus ob probatam ἔκθεσιν Heraclij, vana declarata profeſſio iſtius, ejuſque auctores cum illa damnati. vid. Cent. VII. Magd. cap. IX. col. 178. Baron. ad Ann. 648. §. 13. & 17. item ad Ann. 649. Atque ita Eccleſiæ auctoritate, & Antiſtitum ejus animoſitate ſucciſi ſunt nervi Sanctionis Imperatoriæ, exaruitque omnis ſpes heterodoxorum, qui orthodoxis damnationem & ejectionem intendebant, ipſi, in foveam, quam aliis parabant, incidentes, ita excommunicati, ejecti & damnati ſunt. Ipſe verò Deus, perpetuus juſtitiæ cuſtos, in terrorem impiis & conſolationem piorum, violentiam Imperatorum, gravibus & horrendis pœnis coërcuit. Heraclius enim non exigua tormenta in proprio corpore expertus eſt, hujus & aliorum peccatorum gratia: ut poſtquam aliquot ante obitum annos hoc vitio laboraſſet, ut inguine converſo faciem ſuam (s. h.) perminxerit, niſi per tabellam, infimo ventri oppoſitam, averteretur, tandem aquâ intercute miſere periret, uti ex Zonara, Paul. Diacono & Sabellio refert Cent. VII. Magd. c. 3. col. 26. Itemque Conſtans Imperator, Monotheletarum patronus & orthodoxorum perſecutor acerrimus.

Legationes.

Excommunicationes.

Auxilium divinum.

mus, omnibus Conſtantinopolitanis inviſus atque exoſus, Romam cum Imperij ſedem transferre ſtuderet, in manus incidit Saracenorum, cum quibus infeliciter dimicans vix fuga eſt elapſus, tandemque in Siciliam reverſus à ſatellite quodam ſitulâ interfectus eſt. ibid. col. 27. ut omnibus appareret judicium juſtiſſimum Dei ter O. M. quod illi, qui faciem ſponſi Chriſti contaminare laborant, propriam faciem tandem conſpurcare, & qui Veritatem perſequuntur, ſuis hoſtibus terga dare cogantur: qui interitum & perniciem veræ Dei Eccleſiæ parant, miſerè tandem ipſi pereant & intereant. Hunc vindicem violentiæ, atque protectorem ſuorum potentiſſimum, nos quoque calidiſſimis invocamus ſuſpiriis, ut ſuos, puſillum illum gregem, porrò contra machinas atque artes hoſtium, undiquaque & aſtu & vi; & pace & bello ovili ejus inſidiantium, defendat, protegatque; callida conſilia & fucum inimicorum detegat, animoſos heroes excitet, quo Sathanas ſub pedes noſtros conculcetur, Eccleſia Dei in Spiritu & unitate conferruminetur, in veritate ſanctificetur; totuſq; orbis Chriſtianus nuperrimis conturbatus bellorum tempeſtatibus ſincerâ & perpetuò duraturâ pace reficiatur; donec tandem omnes glorioſi reddamur in Domino Jeſu Pacis Principe unico & auctore, Cui ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula.

Amen.

F I N I S.